



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

IV. Rursus Christus Rex vitutum id est exercituum Domini, & Aciei castrorum ordinatissimæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

hæc ago, etiam si sub Christi nomine cense-
videatur? In quo Christus principatum gerit,
nulli ibi immunditia, nulla iniquitas admittitur,
nec habere aliquem locum potest iniusta cupi-
peditas. Secundum hunc itaque modum, recte
& Christus *virtutum princeps*, & diabolus *ma-
litia ac totius iniquitatis dicitur*.]

Vrsus doctrine.

433 Non vult huius principis subditos, suo
regno annuere, Rex virtutum. [Non quod
creationem suam remouens, (ait autor sermo-
nis de ieiunio apud S. Cyprianum) Daemonum
sub iecerit potestati; sed quia in his qui amo-
rem mundi Dei amoris præponunt, non digne-
tur diuinitas sibi facere mansionem: & impossi-
bile sit eos à Deo regi, qui se Diabolo tradidere;
quia Christi & Beati nulla est participatio, nec
aliqua iustitia cum iniquitate potest esse com-
munio. Regnum hoc non est naturæ, sed malitiæ.
Persecutio est, non defensio: & tota huius po-
testatis virtus, in mortem damnationemque co-
rum qui sub hoc principe militant, elaborat.
Regnum mundi munitur vitiis, ambitur flagitiis;
Turres eius sunt crimina, arma quarumcunque
turpitudinum molimina. Huius Regis telona-
rij, sunt pauperum oppressores, tribuni sedu-
ctores, præfecti iudiciorum peruersores. Cubi-
cularij eius sunt quaestum aduocatores, merci-
monij italectores, ararij Sacerdotes, nummu-
larij Doctores, conductitij defensores, linguæ
subdolæ vel consilij locutores, venales auxilia-
rij, bilingues caudicij, concinnatores menda-
cij, fabricatores peccati, vestiti mollibus, ami-
cti discoloribus. In domo huius Regis sunt;
qui paludamentis talaribus pavimenta verren-
tes capillis mulieribus se in feminas transfigu-
rant, & dignitatem virilem non sine naturæ ini-
uria dehonestant. In hoc regno sunt, quicun-
que regnum Dei commutant in mendacium;
quicunque quasi in taberna vitiiorum præco-
nes, venales animas impurissimis Daemonibus
corumpendas exponunt. Hic auaras manus cu-
pidi muneribus complicant; hic genu flexo
concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, &
propria libidinis adorat simulachrum.]

CAPYT IV.

*Rursus Christus Rex virtutum; id est
exercituum Domini, & aciei
castrorum ordina-
tissime.*



At is de primo illo sensu quo
Christus dici potest *Rex virtu-
tum*. Cum quo alium annexum
suppeditat Petrus Damiani serm.
28. vocans Christum autorem
virtutum, & ducem spirituum bella-
torum.

*Rex virtutum, id est bellicosus, &
exercituum dux.*

434 Consentaneè ergo ad genuinum sen-
sum locorum Palæstis, è quibus hanc Christi de-
nominationem petitam vidimus, *Rex virtutum*
idem sonat quod *omnipotens*, ait S. Hierony-
mus in cap. 2. Zachariæ, siue *fortissimus* atque
adeo idipsum sonat *Rex virtutum* in eo sensu
vsurpatum, quod olim apud Athenienses La-
cedæmonicos sonabat nomen *Regis*. Eo quippe
nomine, summum militiæ præfectum, aut vni-
uersi equitatus moderatorem designabant, ut
Pascualius ostendit lib. 10. de coronis cap. 13.
Rex ergo virtutum, idem est quod *bellicosus* &
exercituum ac castrorum rectori intentus; cui-
usmodi reuera Christus est, si Ecclesia militans
spectetur. Ut propterea regnum Davidis quod
iugibus bellis exercitum ferè semper fuit, cum
regno Christi in militantem Ecclesiam; re-
gnum verò Salomonis quod fuit pacatissimum,
cum regno Christi in Ecclesiam triumphantem
rectè conferatur à Petro Damiani, opul. 37. dis-
sert. 1. dub. 10. [Sciendum est (inquit quia per
regnum David,) qui tot persecutionibus &
ærumnis attritus, tot aduersitatibus & inopis
cum suis commilitonibus est afflictus, hoc præ-
sens sæculum designatur, in quo cum suis mem-
bris Christus affligitur, multisque tribulatio-
bus Ecclesia cuncta regaliū dignitatum inui-
transcendit, omnia principalis imperij fastigia
superavit; futuræ vitæ denunciat gloriam; in
qua Christus verè pacificus, æterna cum suis
quiete perficitur, ac cælestis coniuij dapibus
solemniter epulatur. Vnus igitur idemque Re-
demtor noster, & nunc David, & tunc Salo-
mon erit, quia & modò tanquam manu feris
per membra sua contra Diabolum pugnare
non desinit; & tunc sopita prosus omni car-
nis & Spiritus controuersia, cum corpore suo,
quod est Ecclesia, ut reuera pacificus, æterna
tranquillitate regnabit. Nunc in electis suis,
quasi David calamitatum fascibus premittitur per-
secutionum, ac diuersis aduersitatum pressuris
virgetur, tribulationibus in ærumnis atteritur;
postmodum tanquam Salomon exuberanti di-
uitiarum immortalium copia potietur. Nunc
David à facie Absalon fugiens, decem concu-
binas in domo relinquit, quas Absalon per in-
cestum turpiter fecerat: quia Redemptor noster,
dum eiectus de ciuitate Iudaica in desertum
gentium properat, relinquit in domo legis Lu-
dæos, non viriliter incedentes, sed muliebri
conuersatione viucentes.] Indeq. eruit cur Da-
uid viuens tolerarit, quos condemnauit mo-
riens. [Quia vnus idemque Redemptor noster,
& nunc quasi David reprobiorum prauitates
æquanimiter tolerat, & postmodum tanquam
Salomon, in gloria sua veniens, eos quasi vi-
brato iudicij sui mucrone, trucidat.] Sed de
Regis gloriæ regno, etiam in Ecclesia viatrice,
per Salomonice expresso, infra plenè. Nunc
idem regnum bellis turbatum, & proinde Da-
uidico regno delineatum, consideremus.

Aiebam, sub hac ratione Christum dictum
esse *Regem virtutum*, id est *virorum fortissimu-
rum*, & verè *virorum virtutum*, de quibus ple-
nè Origenes hom. 25. in Num. Et idem erit, si
Christus dicatur *Rex exercituum*, & castrorum

Christus, Rex Exercituum Domini. 195

aciei ordinata. Quibus vocibus duplex eximiam huius regni, per optimi & sapientissimi Regis providentiam, bonum continetur. Vnum est ordinis, in tanta varietate personarum & munerum, quanta in exercitu iusto requiritur. Alterum est regni tutela, & munitio aduersus internos & externos hostes, per militares copias Regis imperia firmantes, & exercitum ad nutus eius paratum.

Castrorum acies sub Rege Christo, ordinatissima.

435 Dicendum de vtroque illo bono breuiter, ducto initio ab ordine quem exercitus nomine insinuari perspicuum est. Exercitus enim veluti anima, est ordo. [Acies, (vt est apud Veget. lib. 3. cap. 14.) si sapienter disponitur, plurimum iuuat: si imperite, quamuis optimi bellatores, praua dispositione franguntur.] Ea dispositio, idem est quod ordo debitus, quem exercitus salutem iure dixeris. Vnde multitudo nimia, quod Xerxes docuit, tuit in certum exitum; quia regere ordinari & componi potest. Eaque ex causa Alexander Magnus, vt est in Panegyri. Constantini cum prater Macedonas suos, cunctae Graeciae, vniuerso Illyrico, innumerablem delectum posset indicare; nunquam maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus, quicquid excideret, & turbam potius quam exercitum. Aptissimè ergo vox *exercitus*, concinnum ordinem exhibet; qui in Ecclesia Dei cernitur, personarum non secus ac in seculari regno variis gradibus distinctarum, & compositarum. Vnde existit varietas illa, & inaequalitas quam toties Apostolus per variorum corporis membrorum analogiam exhibet. Valastidus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 31. & vltimo, correspondentiam & proportionem personarum regni & exercitus secularis, cum regno & exercitu Ecclesiae, fusillimè prosequitur. Inuenit eum audire, sed tantisper acclum. [Sicut gens Romanorum totius orbis Monarchiam tenuisse fertur, ita Summus Pontifex in sede Romana vicem B. Petri gerens, totius Ecclesiae apicem sublimatur, &c. Sicut verò summus saeculi principatus non tantum apud Romanos, verum etiam apud aliarum partium gentes interdum fuit; ita & aliae Ecclesiae, dignitati sedis Romanae conlocantur; id est Antiochenis in Asia, Alexandrina in Africa, in concilio enim Nicano, harum trium priuilegium Ecclesiarum, ceteris omnibus anteferendum ostenditur. Sed potest trium locorum expientia ad vnam dignitatem referri, quia in duobus eorum ipse Petrus sedet: Tertium per Marcum filium suum, suam effecit sedem. Similiter intelligendum de Principatibus saeculi, quod quamuis ad diuersis orbis partibus per tempora sua fulserint, tamen ad ius Romanum quasi vnum apicem, postremo penè omnes sunt relati. Comparatur ergo Papa Romanus, Augustus & Caesaribus. Patriarcha verò Patricius, qui primi post Caesares, in imperiis fuisse videntur: Ita & isti qui satis pauci sunt, primi post trium sedium Praefules habentur. Deinde Archiepiscopi qui ipsis Metropolitanis praesminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem Ducibus comparemus: quia sicut Duces, singularum sunt Prouinciarum, ita

& illi in singulis Prouinciis singuli ponuntur. Quod Comites vel Praefecti in saeculo, hoc Episcopi ceteri in Ecclesia explent. Sicut Tribuni militibus praecant, ita Abbates Monachis, athletis spiritualibus praesse noscuntur. Quemadmodum sunt in palatiis praeprotores vel Comites Palatii, qui secularium causas ventilent, ita sunt & illi quos summos Capellares Franci appellant, Clericorum causis praelati. Capellani minores sunt sicut hi quos Vassos Dominicos, Gallica consuetudine nominamus. Porro sicut Comites quidam missos suos praeposunt popularibus qui minores causas determinant, ipsi maiora referunt; ita quidam Episcopi Coepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus quae iniunguntur, efficiunt. Centuriones vel Vicarii qui per pagos statuti sunt, Presbyteris plebium qui Baptismales Ecclesias tenent, & minoribus Presbyteris praesunt, conferti queunt. Decuriones vel Decani qui sub ipsis Vicariis quaedam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum, possunt comparari. Sub ipsis ministris centenariorum, sunt adhuc minores qui collectarii quaterniones, vel Duumviri possunt appellari, quia colligunt populum, & ipso numero ostendunt se Decanis esse minores. Ad horum similitudinem sunt Diaconi & Subdiaconi, Presbyterorum adiutores in verbo, Baptismo, & quotidiano officio. Sunt etiam Archipresbyteri pro Episcopis Canonicorum curam gerentes. Habent & potestates saeculi, consiliarios in domesticis, & liberorum pedagogos suorum, habent procuratores rei familiaris. Similiter in quibusdam Ecclesiis Archidiaconos quos familiae respicit gubernatio. Sunt in secularibus quaestionarij id est qui reos examinant. Sunt in Ecclesia exorcistae, daemonum excludores. Habent aulae potentium, ianitores. Habet & domus Dei, Ostiarios. Habet mundus vetedarios, commentarienses, ludorum exhibitores, catinorum pompaticos relatores. Habet Ecclesia Acolytas, Lectores, Cantores, atque Psalmistas. Ceterum ex vtriusque ordinis coniunctione & dilectione, vna domus Dei construitur, vnum corpus Christi efficitur: Cunctis membris officiorum suorum fructus, mutuae utilitati conferentibus.] Haec de correspondentia Ecclesiasticae & secularis Ordinis Valastidus. Ex nomine *Schola*; Ecclesiastico ordini cum militaribus aciebus communi, idem illustrat Petrus Faber lib. 2. Agonistici cap. 6.

Tutela regni Christi per eas acies, ab hostibus innumeris duce Satana.

436 Alterum bonum, quod assumabam prouideri regno suo à Christo, per *virtutes* siue *exercitus ordinatos* quorum Rex dicitur, est tutela ac munitio ab atrocissimis hostibus, qui plurimi semper imminet; cum in regno ipso, tum extra regnum. Haec tutela tantum à ferilibus illis hostibus, sed eorumdem etiam euersio atque ruina. Sint interni hostes regni Christi, qui cum fide Catholica quam retinent perduellionis ob exclusam charitatem damnantur, plectendi in aeternum, ni ante excessum è vita, Regis gratiam mutata mente recuperent. Hi verò quam innumeri sunt, non in singulis modò Prouinciis Christiani orbis, sed in ciuitatibus,

& pagis singulis. Vtinā ne & domus, hoc hominum fursure scaterent; qui dictis factisque, vt molitionibus internis; exemplo item malo, & regem suum viol. ut ipsi, & alios ad violandum sollicitant; dicentes, *nolumus hunc regnare super nos*: & vt deiecto è regni possessione Christo, regnet peccatum, & peccati auctor Satanās annitentes. Alij Antichristi quos foris in Ecclesie regnum machinari maleficium affirmabam, sunt infideles omnes; siue Iudaicis tabulis & nugis vanissimis distenti, siue Mahumetis partiarij, paganiue, & saxi ac lignis accidentes, quales olim innumeris nec desunt, Ethnicismi superstites alibi reliquiae, trunco & lapidi venerationem adhibentes, & in Christianam Ecclesiam ac Christi regnum, igne ac ferro saeuientes: quod Iaponis Monarcha quem *Xogurs* dicunt, crudelissimè hoc ipso tempore praestare pergit. Graecorum sapientum syllogismos aduersus Christianam veritatem, quos *munitionum* nomine vocauit Apostolus 2. Cor. 10. vt Occumenius ibi interpretatur, infestum Ecclesiae bellum diu & pertinaciter gessisse, neminem latet: docentque aperte quae superant Celsi, Iuliani, Porphyrij, & aliorum Ethnicorum. In religionem Christianam librorum plagulae. Horum Germani sunt Sectarij, quorum populosissima examina superiore saeculo ebulluerunt, & vniuersam aquilonarem plagam, se dissimè deformarunt. Schismaticos qui nudè schismatici sint, nec in haesim continentem commigrarint, nullibi extrare puto: sic vbi tamen extant, inter illos quos *internos* hostes admirauimus, & hos quos *externos* diximus; medijs sunt collocandi & inter agmina aduersus regnum Christi certantia sede donandi.

Omnium huiusmodi nequitiae ordinum, & filiorum superbia, rex & caput implacabili odio in Christi regnum flagrans, ipse est Satanās: qui bellum cum Sanctis Angelis occasione diuini mandati cui subitici respoebat in caelo inchoatum ab vniuersi initio, deinde in homines Dei imagines per se hosque emissarios suos pertinaciter perpetuabit, & ad finem vsque mundi propagabit odium enim incensissimum quo in Deum flagrat, hanc Deo aduersandi, & quantum facultas suppetit incommodandi opportunitatem, vt effluere non sinat, persuadet Satanās: inde nomen sortito, quod Deo aduersetur, iuxta illud praclare scriptum ab Origene lib. 6. contra Celsum. [*Satan* hebraea lingua dictus, & à quibusdam forma magis Graecanica nominatus *Satanas*, interpretatur *aduersarius Dei filij*, qui est iustitia, veritas & sapientia. Sed magis proprie aduersarius est is, qui primus omnium in pace beatè degentium, amissis alijs à beatitudine sua excidit. Qui, vt ait Ezechiel, *ambulauit inculpabilis in omnibus vijs suis, donec inuenta est iniquitas in eo: & cum esset quasi quodam sigillo expressa effigies, & corona pulchritudinis in paradiso Dei*, velut saturitate bonorum perierit, iuxta verbum illius, qui ad eum dixit mysticè *perditio factus es, & non eris in aeternum*.]

417 Praemiserat verò non ita multo ante, de hoc Dei aduersario, à Christianis asserto Celsi calumniam, his eius verbis, [indagaturus aenigmata illa, quorum occasione putat nos decepto, inducere Satanam, ait vereres illos bellum Deorum aenigmatice tradere, vt Heracli-

tum cum ita scribit: quod si dicendum est commune quoddam bellum, literaque esse, omniaque progigni ex lite, & reliqua. Vt Pherecidem multo antiquiorem Heraclito, fabulose instructum aduersas acies, quarum alteri Saturnum ducem praeficiat, alteri Ophioneum, variisque prouocationes, & certamina, condigneque certas scribentem, vt pars altera quae in Ognum euerteretur, habeatur pro deuicta; videtur verò aduersariis pulsis caelum possideat. Porro ad eandem sententiam pertinere vitæum & Gigantum contra Deos bella mystica: Tum quidquid Egyptij narrat de Typhone & Horo ac Osiride. Post ista memorata, nec tamen exposita iuxta meliorem sensum, quam a nobis intelligantur, conuiciatur nobis, dicens hanc longè aliter se habere quam nostra commenta de diabolo dæmone: vel, quod ipse putat veritas, de impostore homine aduersario. Has impudens calumniatoris getras, ex interpolatis ac interuersis Sacris historiis ab Ethnicis confignatas, non officere Christianae veritati de Satana Dei & Christi diuinarum copiarum ductoris aduersario, monstrat consequenter Origenes, in quo nobis non videtur haerendum, cum res sit explorata.

*Arces singulares regni Christi,
& hostes earum.*

438 Hi hostes regni Christi, in vniuersum sumpti. Quia verò regnum Dei intra nos quoque est, & singuli portio sumus spiritualis regni Christi, sicut ingruunt etiam hostes in singulos, & quidem innumeri, vt Laurent. Iustin. lib. de casto connub. cap. 1. latè prosequitur; ita prouisum est à Christo Rege vnicuique, praedium validum & exercitus, qui singularia quaeque castra tueatur & firmet. *Castrum* seu *castellum*, & *arcem*, voco animam vniuscuiusque Christiani quo pacto locus est S. Bernardus serm. 2. de Assumpt. Nam cum praemisisset, orbem terrarum vniuersum esse castellum & atrium fortis ornati, addit, & nobis singulis castra sunt singula, quod confirmat inflexo tantisper & in bonum sensum tracto, vulgari tunc proverbio, *totum seruat castellum, qui custodierit corpus suum*, optimè vnumquodque horum castrorum munitur Deus, vt meditaturs Gerlo 4. p. serm. in die Paschae; de illis Christi verbis, *pax vobis* Hanc considerationem munitionis castelli (vt vocat) & fortissimi animae appellans *pulchram materiam*, quam sic perstringit. [Charitas amorosa, capitanea erat: & locum tenens Dei summi Domini & Imperatoris, quae super omnia diligebat eum. Et idè Deus fecit eam Imperatricem & Reginam aliarum virtutum. Sicut traditur ab Apostolo 1. ad Corinth. cap. 3. Seruilis obedientia, erat ancilla; quia qui diligit eum mandata eius obseruat. Sicut habetur, Ioannis decimo quarto, Gregor. in homilia Pentecostes. Charitas operatur magna si est: si renuit operari, charitas non est. Humilitas profunda fecit foueas. Patientia muros & munitiones prouidit: prudentia sapiens fuit custos, prouidentia discernbat munitiones. Timor malè operandi, erat ianitrix quae diligenter custodiebat quinque portas corporis, & peccatum ipsum proditorem & omnem malum eius comitatum.]

Christus Rex Exercituum Domini. 197

De castris item religiosi munitione exquisita diuinitus facta, egregie S. Bernardus ferm. 3. de Eccl. dedic. *ferre per totum*; nominatim verò S. Ambrosius lib. de Noë & Atca cap. 2. explicans trium filiorum Noë collocationem quorum qui pessimus erat Cham secundo semper loco re- fertur, obseruat insignem modum quo Deus vniuersumque nostrum munitioni prospectum voluerit, quia ratione (inquit,) malum in medio posuerit, ratio evidens est, quia natura bonum omnibus inest: nec quasi naufragos in lucem prouocat: sed & suffulcit viribus, ut non opprimantur tentamentis, nec tanquam inu- liti, succumbant, sed mutet & vestit velut qui- buldam tegumentis indifferetibus, quae sunt salus, valetudo bona, pulchritudo, impigritia, diuinitas, generis claritudo; ut ea dote muniti tueantur bonitatem naturae, & malum illud in- cludent ne possit nocere, & quasi clausum strag- uent. Nonne cernimus velut aciem quandam virtutum ordinatam in praedium, ut inferiores in medio sint dextra, laevaueque velut in cornibus validiores, per quos tota acies robor accipiat? Unde & quidam poeta Graecus, ait: *ναυός δ' ε- στί, & εὐνοίας*, hoc est, *malos autem in medium inferuit*; Ita ego & natura, quasi bonus Dux im- perante Deo quae nos ad huius mundi praedia generare nouerit, quae bona habet, primo ordi- ne constituit, quae ostendant secundo, quae adiu- uent, tertio ut tanquam in medio inclusus hos- tis, geminatis, quocumque se contulerit, oppri- matur viribus; ne singula eorum velut aequatis fatigetur praediis, & euadendi de angustis na- turalibus, ac serpendi latius facultatem ha- beret.]

439 Aduersus ergo haec singularia castra regni Christi, diuini us firmata atque munita, ingruunt hostes multi & validissimi distributi in tres turmas quas fecerunt Chaldaei, ut idem S. Bernardus philosophatur ferm. 1. in octaua Paschae. *Non enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum horum, contra spiritualia natiuitas in caelestibus.* Hoc quid sit, accipe ex Chrysostomo lib. 6. de Sacerdot. cap. ultimo, post descriptam horribili belli speciem. [Videas (inquit) eo praedio, longe tum maius, tum horribilis, si tibi forte caliginosissimam illam diaboli aciem confli- dumque infanum, oculis istis cernere liceat. Non enim illic aut aes aut ferrum, non equi, non currus, non cerotae, non ignis, non iacula ista quae cernimus: verum alia quaedam ma- chinamenta, his quae dixi longe terribiora. Cer- te aduer- atis istis nequaquam opus est thorace non scuto, neque ensibus, neque hastis. Sed nu- dus execrandae illius malitiae aspectus, talis est, ut humanam animam in a corpore ipso dissoluere possit, nisi ea admodum generosa fuerit, atque adeo antequam a viribus ipsa suis auxilium petat, diuina in se clementiae providentiam sense- rit. Ac sane si liceret corpore hoc exuto, aut vna etiam cum ipso corpore, perspicue, atque intre- pide vniuersam ipsius aciem bellumque contra nos instructum ipsis oculis contueri, videres utique non sanguinis torrentes, neque corpora demortua, sed animarum lapsus tam multos, sed vulnera sic grauia, ut tibi statim vniuersa illa pictura, quam modò expressi puerorum dele- ctamenta, & ludicrum potius, quam bellum vi-

deri possit.] Et mox. [Si & congressus modum rependere velis, hunc verò longa acriorem, ac magis diuersum comperies. Neque enim quis- quam est qui tam multas fraudis, doli, artificij formas norit, quam multas sceleratos ille hostis, quia quidem in parte maior illius vis ac poten- tia inest: Neque inimicitias quae tantas, tamque incedibiles aduersus hostes sibi infensissimos gerere potest, quantas ille aduersus humanam naturam gerit. Porro si quis examinet, quanta eum inhumanitate is depugnet; ridiculum certe fuerit homines hoc in loco conferre. Sin iracundissimas ac truculentissimas quasque fe- ras delegerit, quas cum huius furoris, atque in- sania conferas, reuera mansuetissimas, huma- nissimasque eas a comparatione comperies; tan- tum ille in animas nostras furem spirans euo- mit. Adde quod & pugnae inter homines gestae, tempus breue quidem esse solet: quia etiam in temporis breuitate multae dantur induciae. Nam ex natura sic comparatum videmus, ut noctis superuentus, & ingulandi labor & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia, militi respirandi potestatem sic faciant, ut armaturam exuere, tum verò paulum respirare, seque cibo & potu reficere, multisque rebus aliis pristinas vires re- cuperare, valeat. Aduersus autem Diabolum di- micanti, nunquam licet arma ipsa ponere, som- numve ullum capere: & praesertim qui perpe- tuò inuulneratu praedio esse vult. Ex duobus enim necessariò alterum consequitur ut cadat qui ac pereat armis spoliatus, ut aut continen- ter vigilet, armatusque stet: siquidem ille conti- nenter cum sua ipsius acie stat, socordias no- stras obseruans; ac maius quidem affectens stu- dium ad nostram interuentionem, quam ad no- stram ipsi nos salutem afferamus. Potest enim ut semel finiam, quod a nobis hostis ille minimè cernatur, quodque de repente atque improvisè nos adoriatur, (quae res iis qui non assidue, in excubiis vigilantes fuerint infinitorum malo- rum causa esse solet, facit nimirum, ut bello hoc agrius ac maiore cum negotio quam illo de- fungi possis.)

440 Succenturiatas habet tantus hostis, mundi phalanges: & nunc per eas, nunc per se adornat bellum: nunc via aperta, nunc astu & arte idcirco enim & leo, & draco, in Scripturis dictus legitur; Leo propter impetum; draco propter insidias. Leo aperte irascitur, draco occulte insidiatur (ait Diuus August. homil. 35. ex eo, & praefat. in Psal. 64.) In ipsa via qua ad caelum tenditur, laqueos tendit, quod in hunc modum egregie aperit Fulgentius epist. 3. cap. 15. [Laqueos non in terrenis rebus, sed in ipsis caelestibus aduersarius tendit, nec a via mani- festo seducit errore, sed (sicut ait Propheta) *in via hac qua ambulabam, absconderunt laqueos mihi*, ubi bene ambulantes perspicit in operi- bus bonis, ubi vehementius, & periculosius co- lore simulatae pacis, oculis repugnat insidiis; & non valens Virginitatem carnis, in carne perderet, Virginitatem Spiritus conatur aufer- re. Tum subdit eleganter non minus ac fuse quomodo si minus vnius vitij aggressio succe- dat, inde capta occasione vitium aliud succen- turiatum submittat, & vanitatem ex Virginita- te, ex gula victoriae praesumptionem ex anar- tiae tenacitate superata prodigalitatis insidias Locum consule.

Inest

Intestinum bellum.

441. Quasi autem non ipsi satis esset potentia & artis, nec Spiritus nudus tanto tempore ad bellum formatus; tot victoriis elatus, ad carnem infirmam attendendam satis foret, nobis aduersum nos vtiur, (ait S. Basilius homil. ne temporalibus rebus adhæreamus) cuius hæc est oratio. [Plurimum nos, dilecti, & variis modis veritatis hostis quotidie impugnat. Impugnat autem ita, sicut scitis, ut nostris ipsorum desiderii, iaculorum vice aduersum nos utatur, & perpetuo è nobis ipsi viresumat, quibus nos lædat. Quoniam enim maiorem potentia illius vim Dominus insolubili lege pressit, nec permittit ut vno impetu genus humanum à facie terræ deberet per nostram insipientiam inuidus furim contra nos victoriam molitur. Et quam admodum peruersi quidam, & subdoli homines, quorum studium, & propositum ex aliorum bonis dicitur, eam tamen potentiam non habent ut aperta violentia utantur, vias insidiosè obsidere solent, aut locum aliquem circa illas aut conuallibus profundis interruptum, aut dumorum densitate obscurum viderint, in illum se se abduunt, & huiusmodi velamento viatorum circumquaque conspectum, ne præuideantur, amoliti, ex improviso illos adoriantur, ne quisquam eorum laqueos periculosos videre prius queat, quam in illos incidat; ita & Satan insensum nobis, & antiquus hostis mundanarum oblectationum umbris se se insinuans, quæ periculose circa huius vitæ viam latronem occultare solent, & latibula præbere insidiatori; inde improvisos nobis perditionis laqueos subternit.]

Hæc sunt quibus nos, intra nos ipsos additis, & studiosè obseruatis nos prodit, & domat Satan: nobis ipsi (ut Basilius aiebat) vtens aduersus nos ipsos: sicque iuxta Prudentium in fine Phrymachie, intra nos, per nos,

*Feruent bella horrida feruent
Ostibus, atque inclusa fremit discordibus
armis,
Non simplex natura hominis: nam viscera
limo
Effugiata premunt animum contra ille
ferens.
Edius afflatu, nigrantis corere cordis,
Æstuat, & sordes aëta inter vincula recusat.
Spiritus pugnant variis, lux atque tenebra,
Distantesque animas duplex substantia vires.*

En bellum verè intestinum, & hominem aduersus seipsum armatum, flammam incensoribus dæmonibus suppeditantem; de quibus illa sunt pulchra, sed aliquatenus mollienda, apud Synesium lib. de Prouidentia. [Iam cum illi suam imprimis in potestatem redigere volunt, tunc hoc pacto adoriantur, fieri non potest quàm aliqua in terris animis hominum portio insita sit rationis expertis. Hanc qui è vulgo est, pelam præ se fert. Sapiens quasi strictim adhaerentem. Nemo autem est qui ea sic omnino destitutus, per eam vii congenerem prodicione facta, dæmones animal inuadunt. Oppidi enim

simile est obsidioni quod tunc geritur, ac quemadmodum carbonem ad motus facibus citius incandescunt, quoniam ad concipiendum ignem iam pridem sunt accommodati, sic Dæmonum natura perturbationibus plena, vel ipsa potius viuens & mobilis perturbatio, ad animam accedens, eius affectiones excitat; & ex naturali eiusdem habilitate, actionem elicit sola id ad motionem perficiens. Nam agentis, id quod patitur, simile semper efficitur; ita cupiditas, ita iracundia, & quæ his affinia sunt mala, à dæmonibus instigantur per congruos sibi partes in animam irumpentibus, quæ ipsorum aduentum naturali sensu percipiunt; mouenturque ab illis, & quod in animam insurgent robur accipiunt, donec animam aut penitus subegerint, aut capere se posse desperent. Certamen istud longè grauius munus est. Nullum enim tempus, nullum modum, nullum oppugnandi locum, intentatum relinquunt, vndeque machinæ; vndeque domestica bella conitantur; donec aut euicerint, aut spem omnem deposuerint.]

442. Diuine planè in hanc rem Chrysostomus serm. 171. prolatis illis Christi verbis, *de corde exeunt cogitationes mala, adulteria, &c.* Sic enim exclamat. [Quæ spatia terrarum, quæ magnitudo virium, quæ latitudo regionum tantos hostes ferre, tot inimicos capere, tantis sustinere præuallet nationes: Quot vitæ, quot delicta, quot crimina rapiunt humanos sensus, corda hominum patiuntur, ad vnam ouem genera tota, tota feritas bestiarum, quæ magis dæmoni, quod se explere nequeunt, satiri non possunt vnius captione vorari dente prædones, qui plus hinc æstuant & tabescent, quod capere nequeunt, & vorare: Quod ad vnam columbam tot milia, tot aquila, vultures tot voraces, tantarum currat congeries auium, sordidarum hanc generositatem, hanc multitudinem senescat Propheta cum caneret; *Cum dederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meae, & non potui ut viderem. Ab inuis de corde hominum procedunt:* Tolerabilis est hostis cum muris attat extrinsecus, cum foris, positus credit aliquando confictus. Cui verò est intus inimicus, cuius aduersarius in ipsis penetralibus iam desæuit, iste se intelligit, & sentit oppressum; Iste se, & captiuum perdit, & deploret: Iste suus expugnator esse non potest, nisi esse non potest liberator; alienum requirit auxilium, quærit alterum defensorem. *Ab inuis exeunt de corde.* Nouus est hic ordo bellandi. De homine contra hominem, gentes excent bellaturæ, non contentæ in occulto vincentes prostertere in abdito; quasi quæ famam querant hominis de ruina.]

Has esse gentes regni peccati, contra animam semper bellantes, pulchrè tradit Origenes hom. 1. in Hierem. *sub finem.* Hic est hostis omnium maximè extrinsecus formidandus. [Non est nobis aduersarius, (ait rectè Cassianus lib. 5. de Instit. cap. 21.) extrinsecus formidandus, in nobismetipsis, hostis inclusus est. Intestinum in nobis quotidie geritur bellum, deuotio eo, omnia quæ forinsecus sunt redduntur infirma, ac nulli Christi vniuersa pacata erunt, & subdita. Non habebimus aduersarium nobis extrinsecus metuendum, si ea quæ intra nos

Christus, Rex Exercituum Domini. 199

sunt, Spiritui deuicta subdantur. Eo autem est formidolosior hic hostis, quod eia multiplex, nec conteri planè potest, sed tantum domari; innox tam- en refumit vires oppressuras animam, ni semper vigilet; ideoque semper bellandum, semp. rque standum monebat Apostolus ex S. Chrysostomi interpretatione homil. 22. in ad Ephes. Vbi enim noster legit, & in omnibus perfecti stare, ipse legit omnibus confectis, & sic exponit. Et omnibus confectis, hoc est ex passionibus, & desiderijs absurdis, & omnibus quæ nos interturbant. Non simpliciter conficienda dixit, sed ita planè conficienda, vt non solum tollantur, sed vt & sublatis omnibus, ipsi firmi persistant. Nam multi istam adepti victoriam, denudò ceciderunt. *Omnibus* (inquit) *confectis*: non isto quidem confecto, illo verò nequam. Oportet & post victoriam persistere. Eiecta aliquando sunt mala, verum nisi stemus, iterum reuirescent.] Tres Gigantes, in anima cuiusvis aduersus Deum & bonum nostrum bellantes assidue, ignorantiam, obliuionem bonorum, & foecordiam, describit perpolit. hre Marcus Eremita lib. de præceptis salutaribus in fine & Nicolaus in Eucharistico ad ipsum Matcum. pro transmissio eo libro.

443 Nec desunt infastæ suppetiæ, & aduenticia agmina vitiorum, quæ operationibus feratæ adnatæ, sobolescunt infelicissimè: eo- que potentiùs ac fortius virgent hominem quò acerbius est conuersis abstinere, & aduersus inolitum vsum conuerti. Est autem id in huius- modi hostibus periculosius, quod plerumque amicos simulat: vnde vt perniciosius decipiunt, quia se sub velamine virtutum tegunt, (ait S. Hieronymus lib. 2. de summo bono cap. 35.) fusè id prosequens in varijs exemplis singularibus vitiorum, virtutes ementientium. Tum subdit nom. 4. [Aptum exemplum vitiorum, de latronis specie sumitur. Nam sicut ex insidijs latro prodit, seque iter habentibus iungit, fingens se socium, donec decipiat improuissum; & dum subito erupit ad exitum, latro manifestus ostenditur: ita se miscet interdum periculosè virtutibus vitia, quousque omnem boni operis efficaciam in suis vñibus, deceptam se conspicat vitis damnabilibus.]

Hos esse septem illos populos terræ, quos erudiendo Israël permittit Deus, Amb. in Psal. 43. ad illud *afflixisti populos*, & alij Patres annotant, & fusè planè declarat Ludouicus fidelis lib. 1. de militia spirituali à cap. 9. ad 16. apratis singulorum illorum populorum nominibus ac notionibus, ad singula capitalia vitia. Gergeleis videlicet ad superbiam, Amorrhæis ad inuidiam, Hæuæis ad iram, Chanaanæis ad auaritiam, Ethæis ad pigritiam, Gebulæis ad gulam, Phereleis denique ad luxuriam. Prudentius in Hamatrigenia breuiter hæc est complexus his versibus.

Heu quantis mortale premit genus impro-
bis hostis,
Armigeris, quanta ferrata succellit, ductor,
Bella gerit, victos diuione triumphat.
Surgit in auxilium Chanaanæus atque ag-
mina densat
Caspide terribilis, setarum pondere mento
Concitiens dextramque graui cum cuspi-
dè quassans.
Theoph. Raynaudî de Attrib. Christi.

Ast altera de parte figens exercitus ardet
Regis Amorrhæi, cum millia Gergeleorum,
Effundunt aciem toto volitantia campo.
Eminus hi ferunt, configunt coninus illi.
Ecce Iehusaiæ, ferunt ad parua turma,
Aurea tela quibus de sanguine tincta Dra-
conis
Mortifero splendore micant, radiantque,
micantique
Nec non terrificas pilis armare catervas
Te Cethæe innuat. Sed gens Phereleæ sa-
gitis
Insultat virtute pari, sed dispare ferro
Postremum cuneum Rex pramouet Hæuæ-
rum,
Squamosum thoraca gerens de pelle colubri.
His subnixæ viris scelerum peruersa po-
testas.

444 Et habemus quidem pro hac accessio- ne ad hostium vires, consulentem nobis ac- cessionem virtutum: sed longè impari numero. Idcirco namque quod Cassianus nota- uit lib. 7. de Instit. cap. 15. in Evangelica para- bola vnus cum decem millibus progredi dici- tur, aduersus hostem cum viginti millibus ad se venientem. Amplior enim vitiorum nos im- pugnantiam numerus, quam virtutum pro nobis dimicantium, ferè enim vitia vtriusque me- diam virtutem cingunt; & cum indiuisibile & vnicum sit medium, atque adeò etiam quod circa medium versatur; nempe virtus; à medio tamen deflectere (quod facit vitium) innu- meris propè modis contingit. Eam vitiorum multitudinem expressam esse à sponsa sic qua- rente, filij multitudinis numero, ob numerosita- tem, filij inquam *matris meæ pugnaverunt con-* *tra me* concinnè monstrat Gregorius Nyssenus hom. 2. in Cantic.

Hic est status cuiuslibet hominis, quem Deus iuxta præclaram Richardi Victorini disputatio- nem tract. de statu interio. hominis cap. 14. populis quos intra se continet præfectum vo- luerat, tamquam Regulum, per liberam arbitrium. Cum autem Regulus iste Imperatoris sui dominium excussisset, sensit rebellantes qui ei subiacerere debebant affectuum populos. [Hinc est (inquit Richardus supra cap. 17.) quod ille princeps populorum, (liber videlicet animi consensus,) inuenit in regno suo tot contradictiones, tot rebelliones, tot conficta- tiones, tot disceptationes, secundum quod cogitationes cogitationibus contradicunt, & affectio- nes affectionibus resistunt, & contrarij motus contrariis motibus occurrunt, & surgit gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & insurgunt sæpè boni contra malos, diuiduntur contra semetipsos, & facit Dominus cor- ruerere Egyptios, contra Egyptios. Imo quo l his omnibus est mirabilis, boni insurgunt contra bonos, & pignat vir aduersus fratrem suum, vir contra amicum suum, ciuitas aduer- sus ciuitatem, & regnum aduersus regnum, & vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Ephraim, Manassem, & Manassem Ephraim, simul ipsi contra Iudam.] Addit cap. 18. & 19. de pugna interna vitiorum in vitia, & quod mirabilis est, virtutum quoque ipsarum in virtu- tes. Monstrat enim quod diuiduntur sæpè boni contra bonos, & insurgunt alij contra alios,

Cc &

& scinditur regnum Israël in duas partes, & concitant inter se sæpè prælia & seditiones, v. g. quæ apparet & habetur ac dicitur iustitia, (quod est in hanc rem Richardi exemplum) rigida & seuera nimium, nisi vult concedi misericordiam. Hæc quoque aliquando mollior iusto, remittit pœnam quæ infligenda esset, ad inhibendum nequitie progressum. Sicque ab ipsis virtutibus, quæ subsidiaria hominibus adueniant, imminet clades; sitque supra modum peccans peccatum, per rem bonam operans mala.

Stupor mortalium, sibi inter tot hostes pacem spondentium.

345 Hic cum sit hominis interior status, totque vndique illi pertinacissimi ac minites hostes immineant, verissimumque sit quod docet S. Chrysost. hom. 3. in 1. ad Thessal. nimirum esse hic nos in bello perpetuo; incredibilis est stupor magnæ mortalium partis, qui ut est Sapientia 14. in magno viuentes in scientia bello, tot & tam magna mala, pacem appellant: nec vident, in tot hostium perpetuo stremitu, pacem esse non posse. Et sunt qui inducere in animum possint, fas Christiano esse otiosi, aut laborem remittere in pugna semper constituto; Si bellum est (ait Chrysost. hom. 22. in ad Ephæs. initio moralis) si tales sunt instructæ acies, si incorporales principatus, si mundi Domini, si spirituales nequitie aduersus nos sunt, quomodo dicemus, quæso, delicias? quomodo adeo dissolutus ac discinctus es? quomodo inermes vincere poterimus? Ista quisque sibi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatur, quando per concupiscentiam: quando mollem vitam inconsultè ac frustra quærat. Audiatur Beatus Paulum dicentem: non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates. Gravius ac difficilius hoc bellum est, quàm vllum sensibile vehementior hæc pugna est. Cogita quantum temporis iam dures.]

Sed & Origenes homil. 5. in Iosue. [Transseuntes Iordanem fluvium, ad pugnas & bella transimus. Vis iterum discere quæ nos pugna post baptismum, quæ bella suscipiunt. Noli à me sed ab ipso rursus discere Apostolo Paulo. Ipse te docet, dicens: Non enim nobis pugna est aduersus carnem & sanguinem &c. Intra est prælium quod gesturus es. Intrinsecus est mala ædificatio quæ subruenda est. Hostis tuus, de tuo corde procedit.]

Tandem S. Bern. serm. 2. de S. Andrea [inter tanta pericula, minùs timorati, minùs exercitati, minùs quàm necesse sit solliciti videmur. Siquidem vnum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire; aut si inter hæc conseruamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimium inueniri. Quorum vtrumque, quid periculi habeat, satis est manifestum. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia peruegil, & instantia eorum maligna; qua tam seduli, tam solliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque sollicitos faciat, & circumspectos, ut in timore & tremore, nostram ipsorum salutem operemur.]

Exercitus Christi aduersus hostes prædictos, conscriptio, ex omni ordine ac sexu.

446 Aduersus tot ac tantos, & regno Christi communiter, & singulis quibuscumque eius castellis ingruentes hostes, Christus, virtutum se regem prodidit, ac ut vocat S. Augustinus orat. de 5. hæresibus cap. 7. primipem exercitus Domini, cum in seipso, tum in his quos armavit & eduxit, & quibus combellauit militibus. Sed quod ad ipsam quidem attinet, in præsentia eum dimittemus, quia non bellat nisi hominibus, itaque infra, cum de Christi titulis hominum dantur respectibus agemus, cum producemus, specie bellatoris. Nunc cum proxi regem virtutum, militares ordines constituentem, disponentem, armantem, educentem videamus: sequentibusque cum exercitibus qui sunt in cælo stipatum, ut habetur Apoc. 19. Conscribi primum, siue ordinatè disponi oportere militem, tum armari; primum quidem interitis animo ac virtute, deinceps verò fortis utroque armorum genere, nempe ad offendum & ad defendendum accommodatus; tradit perpulchrè S. Chrysost. hom. 13. in ad Ephæs. obseruans eum ordinem, ab Apostolo circa spirituales milites obseruatum, qui in spirituali militia non minùs quàm in terrena, est necessarius. Quare & à Christo seruatus est. De conscriptione ergo militum in ordines certos, pauca atexamus. Nec de illis dicamus acies, & veluti aliis equestribus cælestium militum, quos à mundi exordio recentes adhuc & noui operis, certamine grauissimo perfunditos scimus. Angelos beatos dico, quos ducit Christus magni consp. Angelus & militia cæstis maximus copiarum Domini Imperator, quo eum nomine appellat Eusebius lib. 4. de demonstr. cap. 10. Has namque acies, quod inuisibiles sint, nostrisque effugiant oculos, iuvat dimittere, & in aspectabiliu militum, hoc est hominum globis hæzere. Insigniter de horum militia Nyllenus homil. 8. in Eccles. & Chrysostomus dupli homilia de spirituali militia. Ordinat eos & armat Christus, & ad sustinendam hostium aggressionem ac fortiter excipiendos impetus; & ad aggrediendum & repellendum.

Nullum à iuis ordinibus militare volentem excludit. [Et nos milites sumus (ait de omnibus Christianis Tertullianus in exhort. ad Castit. cap. 12.) eo quidem maioris disciplinæ, quo & tanti Imperatoris. Etiam minucularum ætatem, & imbellem ferrum non repellit, ut sublimitas sit virtutis Dei & non ex nobis. Eleganter in hanc rem Chrysost. in calce homiliæ de militia spirituali, verbis illis [Apud Deum, etiam femineus militat sexus. Multæ enim sexus femineus, viri animo militiam spirituales gerunt. Non pro corporis infirmitate reprobantur, quia interioris hominis virtute viros æquant: Et in agonibus martyriorum, multæ pares, quædam fortiores viris existerunt, quibusdam virorum à fortiore sexu ignauia muliebri degenerantibus, infirmum corporis sexum virili mente vicierunt, & amissis negantibus viris obtinuerunt.]

Christus, Rex Exercituum Domini. 201

obtinuerunt coronas, quæ in testimonio virtutis victrices pœnatum, viris labentibus constiterunt. Ex ipsis sunt quæ Angel cum sanctæ virginis splendent chorum. Ex ipsis & illæ, quæ glorioſis confessionis præiis & martyriorum triumphis coruscant. Sequuntur & ipsum Dominum in præſentia eius, non ſolum viri, ſed & mulieres, & ex utroque ſexu comites, ſicut ſcriptura deliquit, & obſequantur & miniſtrant Domino. Idem optimè quoque Oratione de S. Barlaam poſt cohortationem ad bellandum fortiter, ſubdit. [Hæc cum ad viros, tum ad mulieres, à me ſunt dicta. Commune ſiquidem eſt ſtadium. Non propter ſexus diſtinctionem, diuiſus eſt Chriſti exercitus, ſed vnus eſt cœtus. Poſſunt & fœminæ loriceam induere, ac clypeum opponere telumque iaculari, cum martyrij tempore, tum etiam alio quod ſiduciam ingentem requirit. Et quemadmodum optimos ſagittarios, qui rectè collimans à chorda ſagittam emiſerit, omnem hoſtium conturbant aciem; ſic & Sancti martyres, atque adeo cuncti veritatis bellatores, qui aduerſus inſidias diaboli fraudemque depugnant; tanquam à chorda quadam à lingua, verba bene collimantes emittunt, eaque tanquam tela per ætrem volantia, cum inuiſibiles dæmonum in phalanges inciderint, omnem eorum aciem conturbant.] Vtique ſive viri ſint, ſive mulieres.

Pulchrè ad idem Origenes hom. 9. in Iudices Iudithæ ac Debora deſcribit victorias; ſubditque. Sic ergo in illis qui militant veritati ſed & qui militant Deo, non corporis, ſed animi fortitudo requiritur, quia non iaculis ferreis ſed orationum telis victoria quaeritur, & fides eſt quæ in certamine tolerantiam præbet.] Videſis inſuper Petrum Damiani ſerm. 68. latè & perpulchrè id proſequentem. Breviter S. Auguſt. ſerm. 112. de diuerſis cap. 11. Pulchrè quoque Petrus Cluniac. lib. 4. epistol. 21. quæ eſt ad Heleſam.

447 Nec imbelles igitur mulieres, quominus in exercitum ſuum inſcribantur, vult Chriſtus prohiberi. Eamque ipſam ob cauſam, (quod ſcitè aduerſit fulgentius epistoſa ad Probam cap. 5.) fœminas communiter cum viris alloquens Apoſtolus, vult omnes occurrere in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, Nimirum & fœminas vitalem animum præferentes, virile nomen tanquam in ſigne virtutis, præſerre debet. Sicut eſt contrariio molles viros, par eſt fœminas audire, vt ratiocinatur Origenes hom. 1. in Iofue. Ea ratione Phryges ob effæminationem fœmineam, Phygiam appellationem reſulerunt. Et eſt contrariio S. Franciſcus Iacobam matronam Romanam, propter animi excellitatem vocabat Fratrem Iacobum, vt eſt apud Piſanum lib. 3. conſormit. An non verò dignæ virili nomine viragines illæ, quæ tantum integritatis corporeæ intertæque theſaurum, in vaſis fictilibus, circumſtrementibus eaſque vallantibus ferociſſimis hoſtibus, ſunt tutatæ? De hac in fœmineo ſexu virili omnino fortitudine, ſic Chryſoſtomus homil. 9. de pœnit. [Ne mihi exiſt maueris, tantillam virginis eſſe magnitudinem talis enim virginis eſt, vt eam

Theophilus Raynaudus de Attrib. Chriſti.

potuerit nemo veterum conſeruare propterea enim gratia magna, quia quæ tremenda Prophetis fuerat, & veteribus; eadem nunc facilis læuiſque exiſtimatur: quæ tunc fuerunt grauiffima & neceſſaria, virginitas mortisque deſpectus; ea nunc vel teneræ puellæ parui pendunt, grauis etenim erat virginitatis poſſeſſio, ita vt hac ſe nemo religaret. Noè iuſtus erat & à Deo teſtimonium accipiens; ſed mulieri adhæſit, grauis etenim erat virginitatis prædicatio, quoad ſos de Virgine germinaret. Nemo igitur veterum poterat virginitatem tenere. Magnum etenim eſt corpus frænare. Pinge mihi ſermone virginitatis ſpectum, atque rei magnitudinem diſce, quod bellum habet quotidie nullatenus ſedandum, ipſo barbarico bello deterius nam barbarorum bellum, vel temporis quietem habet, quo aut paciſcuntur, aut ordinant. Et quandoque quidem pugnant quandoque non: Et ordines & tempora ſunt. Belli verò in virginem collati, nulla datur quies. Diabolus eſt enim ſemper bellum inferens; non temporis obſeruationem ſciens, non globum in aciem congregans, ſed quaerens virginem ſemper nudam inuenire, quo mortale vulnus infligat: neque à bello vnquam virgo ceſſare poteſt. Et damnati ad tempus quidem principem cedent, neque paribus moleſtis premuntur. Virgo autem quocumque abierit, & iudicem circumagat ſecum, & inimicum ſecum portat ad bellum: neque veſperi permittitur reſpirare, non nocte, non diluculo, non meridie; ſed bellat ſemper, voluptatemque ſubmittit; nuptias in memoriam adducens, quod virtutem excludat, malitiamque in ea generet, pudorem expellat, fornicationem inferat. Exurit ergo ſingulis diebus, & horis, fornacis modo ſuccenſa, cogita quantus officiij labor ſit.] Eſt planè ad id officiij exactè exequendum, neceſſarius animus verè virilis, qualem innumera eſt ſexu molliori prodiderunt, corporeæ integritatis propter Deum ſtudioſiſſimæ eiſque in continuis duriffimiſque certaminibus, per totam vitam retinentiſſimæ. An non & illæ viriles, ac maſculo animo, proindeque etiam nomine dignæ, quibus tormenta ludus, ignes, rotæ, gladij, leones, pueritia & ludicra terribilia lamente ſunt viſa?

Matrem caſtorum Chriſtianorum, longè fauſtiorẽ ſparca illa Antonini coniuge Fauſtina, Debora & Iaheliſtys expreſſam, inter Gregarias pugnatrices recensere, religio ſit. Eam Chryſoſt. orat. de vno legiſlatore, ſic exhibet. [Non deest Deo Debora. Non deest Deo Iahel, habemus & nos ſanctam virginem & Dei genitricem Mariam, quæ pro nobis intercedit. Si enim quæuis eſt vulgo mulier victoriam obtinuit, quanto magis Chriſti mater, hoſtes veritatis confundit? Hoſtis ille cum armaretur, arbitrabatur fœminam eſſe quæ riſu & ſibilis exciperetur, & Imperatricem fortiter depugnantem ſentit. Non exiſtimabat illi monumentum futurum, & iſi ſepultura inuenta eſt. Mortuam illam exiſtimabat, & ab ipſa interfectus eſt. Habemus Dominam noſtram ſanctam Mariam Dei genitricem. Saranam cum Siſara per Iahel conſeſſo, (de quo paulo ante plene

Cc 2 egerat,

triduum, quatrimum, & plures interponantur dies: Si quis abundante commercii frequentantur. Et ita sine labore iter conficiatur, donec ad eam urbem perveniat, quæ quasi regalis eligetur; in qua fessis exercitiis requies ministratur. Hanc legem viandi esse præscriptam, Christo ducente, sanctis commeanantibus, recognoscas velim.] Declarat id exemplo antiquorum, qui educti ex Egypto sunt, statim omnibus mansionibusque desertis, & columna præunte ac mansiones quiete sua ordinante. Fuisse hanc columnam nobis simul & ignis, typum Christi elegantem ostendit ibi Ambrosius nec non S. Cyrillus l. b. 4. in Ioannem cap. 18. quos infra producam.

451 Attingenda sequitur, quæ omnium maximè ad ordinem exercitus spectat, dispositio acierum; de ea sic Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 13. [Solent quædam virtutes præire, quædam sequi, quædam opus bonum comitari. Fides semper in prociectu castrorum spirituum, obstantem adversarium, cornu impetit: aduocat deinde iuxta latus suum exercitum bonorum operum, quorum circumvallata fortitudine, rumpit, & irumpit acies adversantes. Præparat deinde & prudentia cuneum suum, confortat quoque fortitudo brachium suum. Iustitia vallum iacit, & muros subvertit. Temperantia ad dedicationem, turmas congregantem cogit. Ordinantur acies virtutum, & præparantur in clypeis, & lanceis, adversus castra vitiorum. De Castris virtutum, eiciuntur virtutes quæ præter ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Quam obrem ad sonitum tubæ Evangelicæ, mouetur castra, & crucis sequuntur vexilla. Intorquent iacula Confessionis, in equis ferantur mortificationis. Quid ad hæc turba vitiorum? Ordine confuso, præceps capitur ad bellum. Denique confundunt voces, & permiscunt ordines, incentiva vitiorum. Rursus lentis gressibus, & in cellu composito procedit ad bellum exercitus virtutum; Quo tamen tardius venit, eo instantius ferit; non conuertat (inquiens) donec deficiat.] Annona infra meminero, cum de gladio qui cum magna gladio affinitas, ut docet panis subincinerius, denotans gladium Gedeonis Fortassis quia in fortitudine sibi, bellatur non minus quam in acie gladij.

Stipendia militum, in prociectu ad prælitum. Eorundem animi.

452 Constitutis in prociectu militibus, morque armandis, & ad præstitutam progrediendi ac hærendi ordinem paratis, stipendium deesse non debet; [ne dum sumptus queritur, prædo grassetur] ait S. Ambrosius lib. 2. in Lucam; & ut miles eo illice, & potiundum in anubiarum curia, ad fortius validiusque pugnandum animetur. In seculari militia ridiculum est, quæ stipendij tenuitate adeatur certa propè mors, cum vt ille in Mostellaria, supra Comicum sapiens iudit, [plagipatida ferriteribaces viri, trum nummorum causa, subeunt sub falas (id est torres hostium ligneas) vbi aliqui quindenis hostis corpus transigi solent.] Milites item apud

Tacitum 1. Annal. demis in diem assibus, corpus & animam æstimari queruntur. Plura pete ex Lipsio libro 1. elect. cap. 2. Militum Christi stipendium duplex assignari potest; vnum in specie, alterum in re. Primum est gloria, alterum gratia. Certantibus enim, & vt par est bellicam virtutem prodentibus, rependitur gloria. Ideoque Apostolus Ephes. 6. ait, esse nobis collationem contra spiritualia nequitiæ in celestibus; id est (iuxta Chrysostomum ibi, & pulchre Athanasium hom. noua in S. Pascha) propter celestia, propter immortalitatem, & ob Christi præsentiam.

Alterum stipendium militum Christi quod iam nunc appenditur militibus; est Gratia roborans & confirmans propositum ex Dei inspiratione conceptum. Hoc stipendium illud ipsum est, quod Apostolus 2. Corinth. 1. vocat pignus spiritus & virtus quam Deus populo suo dat. Est autem tanti momenti, vt vna illius stilla, (quod S. Chrysost. in Psal. 44. ad illud diffusa est Gratia, pulcherrimè expendit,) admirabiles omnino effectus ediderit. Non est virtus par, & fortitudo vlla æquanda ei quam militibus suis confert. Declaratur vicumque eam Richardus Victorinus in Psal. 18. ad illud Dominus & virtutem populo suo dabit, post alia in hanc rem per illustria, subdit. [Audit adhuc aliquid maius de huius Regis militibus. De huius Regis siquidem militia esse dubitandum non est, illos, quorum vnus persequatur mille, & duo fugant decem millia. Virtus mirabilis & proflus stupenda, vt vnus contra mille, & duo præualeant contra decem millia. Quis tamen ignorat quantam inimicorum stragem efficiat, cum egregius ille huius Regis miles, timor videlicet Domini, sub lucis protectione contra vicinorum exercitum dimicat? Quid cum ei, ille Dei miles præcipuus & princeps militiæ Dei, videlicet amor adiungitur? Quæ quæso hostium multitudo eorum impetus ferre valebit? Qui timet Deum (inquit Scriptura) nihil negligit. Ecce quæ is præliator timor Dei, qui non solum nequitiæ, sed etiam negligentia omnes, ante se fugare consuevit. Longè tamen cum singularis fortitudinis prærogativa præcedit ille Dei miles electus in milibus, qui omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Si ergo tantum prævalent vnus vel duo, vt nec eis resistere valeant decem millia; quantum est quæso quod efficere valeat in vnum collecta recta Regis huius militia vniuersa? Mirabilis Rex, qui sic suos magnificare potuit. Amabilis proflus, qui suos sic magnificare voluit.] Subiicit votum suum vt inter hos Christi Regis milites adscribi deat.

453 Iuvat ad augendos militum animos, tympani ac tubæ sonitus. Tympanum S. August. in Psal. 33. cant. 1. Christi sacram carnem in crucis ligno extensam interpreta ut. Tractans enim quod de Davide dictum refert, ipse verò ad Christum accommodat, affectibus & tympanizabat ad ostia ciuitatis, affectionem illam ait fuisse expropti onem affectus & compassionem erga nos morientis pro nobis; tum subdit. [Ergo affectauit, quia peruenit vsque ad mortem crucis. Et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur;]

Cc 3 vt

ut autem tympanum fiat; caro, id est corium in ligno extenditur dictum est, & *tympanizabatur*, id est, crucifigebatur, in ligno extendebatur.] Quod si quia tympanum sit de corio exsiccatum atque firmatum, placeat cum eodem S. Augustino in Psalm. 150. & sæpè alibi homines mortificationem Iesu in corpore suo circumferentes intelligere, ut factum etiam est à S. Chrysostomo homil. de pœnit. contin. & Virginit. & hic quoque tympanorum sonitus, exempla inquam Sanctorum sibi & carni mortuorum qui prius in hac acie steterunt, animos haud exiguis faciunt accinctis ad hoc prælium Christi militibus. Tubam Hefychius orat. de S. Andrea inuio, Apostolicum sonum interpretatur. [Eam tubam ut Christus moliretur, cruce quasi malleo, Evangelio quasi incude, quasi igne spiritu, nouo ac veteri Testamento quasi folliibus usus est;] ait idem Hefychius de usu huiusmodi tubæ ad concitationem animorum in militari certamine, pluscula eo loco tradens, & alia suppeditat Philippus Abbas lib. de silentio clerico. cap. 40. & 241. Nec vexillum quod his Christi aciebus præfertur, parum confert animorum. Non est aliud hoc vexillum, quam signum crucis. Ei certè confixus Christus dicitur stare in signum populorum, Isaia 11. Nec quicquam in Patribus frequentius, quam ut Crux vexillum Regis Christi audiat, sub quo signo conueniant eius milites. Loca multa signat luctus ad librum 2. Paulini de vita S. Martini num 35. Neminem autem latere potest, quantus ex conspectu crucis, & pendentis ex ea Christi, ardor ingeneretur. Ex his omnibus existunt magni illi præstantium sub Christo militum animi, quos attingebam.

Armatura exterior, nulla; interior exquisita.

454 Et est tamen huiusmodi militum armatura, (ad quam iuxta constitutum ex Chrysostomo ordinem progredior,) in speciem leuissimam ac penè nulla. Non hic lorica, non clypei, & scuta, non Galeæ, reliquæque munimentorum apparatus, non ad lædendum & feriendum hostem gladij, lanceæ, sarissæ, tela, & omne huiusmodi armorum genus. Pugnatur sub hoc Rege exercituum; sicut in die Madiam, ut Isaia cap. 8. prænuunciarat. Hoc quid sit, & quomodo bellissime in Christi Regis milites cadat S. Gregorius egregiè exposuit 30. moral. à cap. 32. Decerpo ex eo quædam. Christi in primis cum Gedeone consortium nominis, perpulchrè monstrat, quod Gedeon idem sonet ac *circumiens in viro*: Christus autem, humanitatem intra virginis uterum, non clausus, atque adeo *circumiens* assumpserit. Hic Gedeon cum trecentis, (qui numerus in *Tau*, littera, crucem exhibente continetur, ut confirmat eo loco S. Gregor. notauitque etiam S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. & lib. de Noè cap. 33. & August. quæst. 17. in Iudices;) hoc est cum crucigeris, & sibi ac mundo mortuis pugnat, iis reprobatis & militum albo expunctis, qui ad bibendum curuati fuerant, & genua inflexerant; opera videlicet sua dis-

soluentes, nec stantes rectis operibus; ut quod ore annunciabant proderent opere. Ab istis selectis militibus, nouo more initum est prælium, & nouo assumpto genere armorum processum aduersus hostem. [Itum ergo est (inquit S. Gregorius) ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. Inuitatus iste (ut diximus,) fuit ordo præstantium. Cecinerunt tubis, & sinistris lagenæ tenebantur. Intra lagenas autem sunt missæ lampades, confRACTIS verdè lagenis, lampades ostensa sunt, quarum coruscante luce, hostes terri in fugam vertuntur. Designatur itaque in tubis, clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux nos ter ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternebant, eorumque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Armati enim venerunt, sed duce suo ad prælium, martyres nostri: sed tubis, sed lagenis, sed lampadibus. Qui sonuerunt tubis, dum prædicant; confregerunt lagenas, dum soluenda in passione sua corpora hostilibus gladiis supponunt, resplenderunt lampadibus, dum post solutionem corporum miraculis coruscauerunt. Moxque hostes in fugam conuersi sunt, quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscant conspicuntur, loca veritatis fracti, quod impugnant, crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur; lagenæ fractæ sunt, ut lampades apparerent; apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur: id est prædicauerunt martyres, donec eorum corpora in morte soluerentur; corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent; coruscauerunt miraculis, ut hostes suos ex diuina luce prosternebant, quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formiderent. Et notandum quod steterunt hostes ante lagenas, fugerunt ante lampades; quatenus mirum persecutores sanctæ Ecclesiæ, fidelis prædicationibus adhuc in corpore positis steterunt: post solutionem verdè corporum, apparentibus miraculis in fugam versi sunt, quia pauore conterriti, à persecutione sublium cessauerunt. Prædicatione scilicet et tubarum fractis lagenis corporum, visis timerunt, lampadibus miraculorum.] Addit cap. 34. hos novos milites, meritò dictos in dextera tubas portare, in sinistra lagenas. Quod enim longè pluri faciamus quæ dextera committimus, insinuatum ea tubarum potest dexteras apprehensione est, quam pluri hi milites Christi causam principis sui facerent, quam corporum suorum lagenas, quas sinistra tenebant.

455 Imponit oculis nouum hoc armandi milites Genus. Fortis namque inermes, & eo quo vidisti habitu, Gedeonis nostri milites prodeunt sed interna optime munita & constructa, validisque armis instructa habent. Inuenit namque Rex hic exercituum nouorum, armaturæ adhibendæ consuetum modum, ut ex Petro Damiani infra obseruabo. Non dissimiliter igitur armati suos voluit, & exterius inermes ac sine telis, interius tamen omnem illam armaturam habere iussit. Vbi autem

dicendus inprimis Origenes hom. 1. in Psalm. 36. ad illud *delectare in Domino*, sic differens. [Mors est scripturæ diuinæ, duos homines intro lucere *quarumque*, id est similitudine alterius, alterum ex altero nominare; hoc est ea quæ exterioris sunt hominis, compellere etiam in interiorem. Quod autem dico, tale est. Exterior homo corporalis, vescitur cibis corruptibilibus, & sibi aptis. Est autem & cibus quidam interioris hominis, de quo dicitur, *quia in omni verbo Dei, vivit homo*. Est poculum exterioris hominis, est aliud interioris. *Bibimus enim de spiritali sequenti petra*; & *bibimus aquam*, quam dicente Iesu, *qui bibit, non sitiet in æternum*. Est & indumentum exterioris hominis, est & interioris hominis indumentum. Et si quidem peccator sit, induit se maledictum sicut vestimentum. Si autem iustus sit audit; *Induite vos Dominum Iesum Christum*. Et *induite vos viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam*. Et quid necesse est narrare per singula, quomodo interior homo exterioris hominis homonymis appellationibus nominetur? Arma exterioris homo, & interior habet. Qui secundum interiorem hominem militat, induit armis Dei ut possit stare aduersus versutias Diaboli.]

Hanc militum Christi interiorem armaturam, vno verbo exprimi posse sic docet Isidorus Pelusiota lib. 4. epist. 15. [Quia oportebat humanitate acque clementia opificis nostri iterum induere arma virtutis, Deus Verbum in terras venit, nobisque charitatem quasi quandam Angelicam stolam contexit, in qua vniuersam virtutis armaturam fabricauit. Nam virtutum omnium præclara facinora quæ in specie solent enumerari, vna generalis virtus complexa est, cuius nomen est *charitas*, siue *dilectio*.] Si tamen sigillatim eam militum Christi armaturam notare placeat, aduendus qui eam minutatim & fusè prosequitur Ludouicus fidelis toto libro 3. de militia spiritali. Ego eam represento verbis Apostoli Ephes. 6. *state succincti lumbos vestros in veritate, & indui loriceam iustitiæ, & calcate pedes in preparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo positis omnia telanequissimi ignea extinguere, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & observationem, orantes omni tempore in spiritu. Hæc omnis armatura, dempto gladio qui extremo loco profertur, ad munimen & tegmen militis videtur inducitur. Percurramus obiter partes eius singulas, si primum stationem non omiserimus, cuius est prima apud Apostolum mentio.*

Sigillatim de ea interna armatura ex Apostolo: Premissa statio indicitur ab eo Christi militibus.

456 *Standum*, primo loco indicit Apostolus: quod per magni referte ad rem bellicam, & maxime in militia commendari, obseruat S. Chrysost. ibi homil. 23. & post Origenem homil. 9. in Iudices monstrat non nisi ab iis qui vere recti sunt, seruari stationem spiri-

tualem, necessariam ad hanc militiam. Proinde non lasciuos, non delicias, non pecuniarum amantes, non cuiumque creatæ rei incumbentes, censendos esse *stare*. Qua stationis notione supposita, vniuersale est iustum standi, & in quocumque spiritali prælio æquè valere, quamuis Nyssen opusculo in illud Pauli *omne peccatum quod fecerit homo* &c. Aliter sumpto *standi* verbo, sic philosophetur, ut non sit vniuersale mandatum. [Sensilium (inquit,) bellorum milites, nunc quidem aduersus frontibus pugnam capessentes, nunc autem fuga videntes, acies instruunt. Est etiam animarum bellum, quod & resistendo, & fugiendo prudenter geritur. Hoc sciens Paulus qui per vtramque instruendæ aciei artificiosam rationem ducit exercitum; nunc quidem præcipit, ut ad pugnam committendam stent fortiter; *state accincti lumbos vestros in veritate*: nunc autem fuga consilii decipere inimicos. *Fugite* (inquit,) *fornicationem*. Si intruat bellum incredulitatis, vile est illi resistere. Sed si dolo nobis minetur acies, contra hos aduersarios pulchrum est locare insidias. Tenditur arcus calumniæ; vile est aduerso fronte congredi cum mendacio. Quando autem iacit telum forma meretricia, honestum est tergum vertere, & aduersum vultum fugere. In oculos enim telum dirigit fornicatio; & oportet meminisse præcepti Imperatoris, *Fugite fornicationem*. Habet enim aliquid magis timendum, quam alla scelera.] At secundum notionem standi præmissam, hic quoque *standum*, id est non succumbendum, & vera in Deum intentio retinenda.

Vides ergo quàm multi iaceant, qui stare creduntur: præsertim si corporali exercitationi quæ ad modicum prodest, impendant stadij non nihil; sique stationem se obire putent, ex vetere loquendi more Ecclesiastico, quo *stationis* nomen, (ut apud Tertullianum lib. de orat. cap. 14. Cassianum lib. 5. de instit. cap. 20. & pulchre apud Ambrosium sermone 25. videre est,) ieiunium ad certam vsque horam productum significat, ut ad caput illud Tertulliani num. 58. censet Pamelius: corrigens quod fecit scripserat ad epist. 41. Sancti Cypriani num. 9. & notans ex Rabano lib. 2. instit. cleric. cap. 18. quod item habet Isidor. 6. Orig. cap. ultimo distinctionem ieiunij à statione fuisse, quod statio esset ieiunium indictum & statutum lege. Ieiunium autem de voluntaria abstinencia diceretur. Annuit de *statione* vsurpata pro ieiunio, Cerdà ad idem Tertulliani caput, & in Aduers. cap. 104. num. 15. & cap. 138. num. 3. Et esse sanè ieiunium in spiritali bello quid præcipuum, latè tradit S. Basilus homil. 2. de ieiunio, *initio*, notans hac in parte differentiam militia carnalis à spiritali. Aut si aliud est statio Ecclesiastico prisco loquendi more, quàm ieiunium, (ut contendunt, Onuphrius lib. de stationibus Urbis Romæ, *initio*, Abbas pineus lib. 1. Obseruat. Sacr. cap. 16. Petavius ad Epiph. & nutans in priore sua sententia Ludouicus à Cerdà in Aduers. sacris cap. 160. num. 16.) nec nisi pars eorum quæ per stationis tempus obibant Christiani, ieiunium erat; non plus etiam stant qui reli-

quas

quas illas stationis partes obeunt orantes, de Ecclesia non dicentes, de geniculis adorantes, aliaque externa pietatis officia exercentes, nisi ad corporalem hanc exercitacionem, adiungant eam quam Chrysostomus loco allegato, vocat *vehementem & exaltam resolutionem*, qua vult definiti stationem Christiano militi indicam, ut possit stans non deici, sed malo obstitat; & iustitiae ac lucis armatura, (de qua agendum sequitur) sit sui.

Cingulus, militis Christi.

457 Est in ea primum Cingulus, quo militem Christi praecingat Apostolus. Is fluxam vestium tybias impediendum laxitatem, cohibet, firmatque, & roborat lumbos qui sunt in corpore velut carina in navi, & in edificio fundamentum, ut hic ex medicorum placitis disserit Chrysostomus. Sicque efficitur, ut homo non defigatur humi, sed facile perferat elarus & sublimis, ut necessarium est ad belandum. Hi spirituales lumbi cingulo confortandi in Christi milite, aliud non sunt quam intellectus: nec cingulus aliud quam veritas, quae praestat ut stemus, & ad terram non prosternamur. Vnde hoc cingulo destituti Ethnici, & Haeretici omnes, humi voluntantur. Ac proinde est hoc peridoneum adversus externos omnes regni Christi hostes superius productos, munimentum. Audi Chrysostomum ad hunc locum. [Qui veritatis doctrinam quærit, ad terram non prosterneretur. Quod enim quæ vera non sunt, ex terra sunt, ex eo liquet, quod omnes qui extra veritatem sunt, passionibus animi feruunt, proprias cogitationes suas sequentes. Propterea si sobrie vigilaerimus, non opus habebimus, ut contra Græcorum infidelium sermones doctrina instruat, quoniam molles illi sunt ac laxi, nihil quod feruum sit, nihil quod humanam rationem excedat, de Deo completi valentes. Non enim sunt in veritate cincti. Propterea soluti sunt ipsorum lumbi, receptaculum scilicet genitalium seminum, & cogitationum irrationalium robur: Nihil igitur illis imbecillius. Manichæos vero vides, quomodo & illi omnia ex propriis cogitationibus suis loqui audeant? Non potuit, (inquit) mundum Deus absque materia facere. Vnde hoc liquet? Ex humo & terra ista dicunt, & ex humanis rationibus. Quoniam homo (inquit), aliter quicquam facere non potest. Rursus Marcion quid dicat, vide: Non potuit Deus accepta carne manere purus. Vnde istud liquet? Quoniam neque homines, (inquit), tanquam homines istud possunt. Valentinus quoque ex humo tractos sensus habens, de terra loquitur, ut & Paulus Samosatensis. Arius vero quid dicit? Non potuit Deus gignens, sine passione gignere. Vnde hoc audes dicere, ô Ari? Ex nostris, id est humanis rationibus. Vides omnium ex humo tractas cogitationes, depressas, terram spirantes? Idem de omnibus Catholicæ veritatis hostibus, regno Christi semper infestis, esto iudicium. Nemo eorum succinctus est mentis lumbos in veritate. Vnde inclinati terram respiciant. E contrario ergo Christi militem, luc-

cingi veritatis cingulo ut possit stare, nec veritatis hostibus ludibrium debeat, est plane necessarium.

458 Quam præcincti, quam terrenis & fluxis negotiis non impediti, quam terræ non affixi, Doctores sacriæ primis illi qui Polytheismo & Ethnicismo obtinebant, Greg. Neocærensis, Iustinus, Athanasius, Irenæus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus, & consequenter, omnibus Christianis sæculis innumeris. Nuper tamen verò adversus extremos erebi impetus, quam plurimi se opposuerunt pro domino Dei. [Quis enim dubitet (inquit Origenes homil. 26. in Num. in fine) quod sancti quippe Patrum, & orationibus nos inuenit, & gestorum suorum consuetudine atque horrentur exemplis? Sed & voluminibus suis per ea quæ nobis ad memoriam scripta reliquerunt, docentes nos & instruantes, quomodo ducamur in inimicas potestates dimicandum sit, & quomodo agendum toleranda certamina? Pugnare ergo pro nobis & ipsi, incedunt primis ante nos armati. Ipsos enim nos habentes ad exemplum, & videntes eorum per Spiritum fortia facta, armamur ad prælium spirituale, & adversus spiritualia nequitia in celestibus dimicamus.] Monet verò specialiter S. Ambrosius serm. 7. non si Clerici, (quos inter, omnes hi Doctores numerabatur,) remissa ac fluentibus sunt tunicis, censendos propterea esse à militia alienos. Habent enim internum cingulum quo constringuntur interna, iuxta Domini monitum, qui lumbos præcingendos monebat. Et aperte de istis Clericis idem sine involucre sanciebat Apostolus 2. Timoth. 2. vetans, ne quis militum duplicet se negotiis secularibus.

Sed quod miles Christi lumbos succingit veritate videtur, aliter accepit Origenes hom. 5. in Iosue initio. [Nostrum esse cingulum veritas debet, si tamen servauerimus militiam, & cinguli Sacramentum. Si enim veritas est cingulum nostrum, quoad Christi militiam cingimur, si quando falsum loquimur, & mendacium de ore nostro procedit, discingimur à militia Christi, & baltheo veritatis exolvimur. Ergo si in veritate sumus, sumus cincti. Si verò in falsitate, discincti. Sed nos imitentur potius ista quadraginta millia vitorum accinctorum procedentium ad bellum in conspectu Domini, & semper sumus in veritate succincti. Sed ne illud quidem otiosè prætereo, quod addidit scriptura, quia accincti in conspectu Domini. Non enim sufficit te apud homines videri servare veritatem. Possibile namque est fallere homines, & veracem videri, sed non ex eo in veritate succinctus es, nisi & in conspectu Domini servaveris veritatem; id est non solum quæ voce homines audiunt, sed & ea quæ in corde perspicit Deus; ut nihil sit falsum in lingua, nihil sit in corde fucatum, secundum quod Prophecia dicit de talibus: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt cordibus eorum.]

Militis Christi, Lorica.

459 Lorica iustitiæ, qua deinde Christi militem munit Apostolus, iuxta Laurentium Iustinianum lib. de interiori conflictu cap. 6. est Prudentia. Et cum hæc sit omnium virtutum rectrix, non planè abhorret quod inquit S. Chrysostomus, hom. 24. nempe iusticiam cuius Lorica munitur Christi miles, esse *vitam omni virtute præditam*. Non enim Apostolus eam duntaxat iusticiam in eo exigit, quæ in alieno iure seruando indemni sita est: sed Catholicam (ut vocat idem Chrysostomus) sine vniuersalem. Nam & hoc ei apud Philosophos nomen est. Cassianus collat. 7. cap. 5. hanc Loricaem censet esse charitatem quæ & ipsa virtus est vniuersalis. Hoc ergo munimento circumdari thoracem militis Christi, est pernecessarium. Frustra enim appeteret hostem verbo, aut alia quacumque ratione, qui preterat opprobrio vitæ non ex norma Christiani iuris exactæ. Qui eiusmodi sunt, tamen si fortes operarios, & secularibus operibus obeundis ac ferendis exercitos, ac si habet, magnis ad præliandum naturæ donibus instructos, habendos esse ad Christi prælium inceptos, & repellendos, admonet S. Gregorius lib. 3. in primum Regum *in fine*, tractans illa verba, *quemcumque videbat Saul virum fortem & aptum ad prælium, cum sociabat sibi*. Præmissa enim notione *apertorum & fortium*, subdit de fortibus, sed non aptis bello Christi. [Quorundam temeritas à Christi bello repellitur, cum apti & fortes, electi memorantur. Nam quidam sciunt cum Diabolo pugnare, & nolunt: Sapientes quidem sunt, ut faciant mala; bona autem facere nesciunt. Hi antiquo hosti seruire volunt, resistere nolunt. Quid enim faciat Doctor, si aptos istos ad prælium sibi faciat? Magis tales possunt alios per exempla destituere, quam ipse per verbum edificare. Nam & sæpè tales docere au lent, & docendi virtutem operando non tenent. Cum loquuntur nobiscum, in hostes intrant; sed per opera subito in viscera nostra torquentur. Velut proditores quidam exercitus, arma Christianæ doctrinæ induunt, & per exempla subito paruulos Christi feriunt, quos velle protegere loquendo putamus. Non apti ergo viri fortes repellendi, non sociandi nobis sunt: quia per sapientes reprobos robur nostrum destruitur, non augetur. Qui ergo sunt fortes, & non apti, nisi quos videmus onera sæculi fortiter ferre, & fortitudinem suam in seruitutem conditoris transferre nescire? Nam iugum hominum, & magnos sæculi labores fortiter ferunt, sed ad seruitutem Dei accedere, velut infirmi pertimescunt. Quid ergo isti nisi fortes, & non apti sunt, qui sæculi magna faciunt, & Christi agere lenia & blanda non possunt?] Dicitum in hanc rem plenè cum de morali Doctore. Quid ad huiusmodi Loricaem iustitiæ, illa propudiosi & inutilis luxus argumenta apud Claudianum lib. 2. de laudibus Stiliconis.

Quin & Sidonias Chlarydes, & cingula buccis.
Théoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

*Aspera, Gemmataque togas viridesque
Smaragdus,
Loricæ.*

Calceamenta.

460 Sequuntur apud Apostolum *calceamenta in præparationem Euangelij pacis*. Ocreas & vniuersum munimen, intelligit hoc nomine Chrysostomus. Et quia in pedibus signantur affectus, rectè signantur per has voces omnia illa, quibus affectus ab externorum impetu arcemus. Quæ est expeditissima ratio, hominis ad spirituales militiam aptandi. Nam quamdiu permittuntur incurere in affectus nostros externæ eorum prouocantes, iniicietur certus & grauis obex ad militiam Christianam. Constat ita accipi à S. Augustino lib. 2. qq. Euang. in 33. *præparationem hanc Euangelij pacis per calceatum*. Ex eo enim secutum ait, ut non tangantur terrena, sicut fieret si pes nudus esset. Videtur annuere S. Hieronymus epist. 146. tractans quod pater calceamenta prodigo reuerso reddi iubet, verbis illis. [Et calceamenta in pedibus eius. Sponsi quippe (inquit Hieronymus) perdidit dignitatem, & nudis pedibus Pascha celebrare non poterat. Hæc sunt calceamenta. De quibus Dominus ait: Et calceati te hyacinthos. Et calceamenta in pedibus eius. Necubi colubet insidians, plantam ingredientis inuaderet, & super scorpiones & serpentes securius ambularet, ut præpararetur ad Euangelium pacis, iam non gradens secundum carnem, sed secundum Spiritum; & dictum ei propheticum conueniret: *Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.*] Contenti sunt qui de sandaliorum Episcoporum mystica significatione differunt. Est enim id id significandum, subter solea integra: supra verò corium fenestratum: qua furtim apertione notatur, non erubescendum Euangelium: munitione verò infernè adhibita, significatur, vitanda pollutio à terrenis. Videtis in eam rem Bedam, Fulbertum, Alcuinum, & alios apud Stephanum Durandum lib. 2. de ritibus cap. 9. num. 21. & Balduinum lib. de calceo cap. 29.

Scutum.

461 Scutum fidei quod deinde adhibet Paulus, ipsam fidem interpretatur Theodoretus. Et est sanè fides munimentum insigne, & protectis super omnem Gloriam. Nihil tamen vetat *scutum fidei* exponere, scutum quod suggerit fides. Suggesti autem non vnum, sed multiplex. Plurima enim sunt quæ fides iuxta Scripturas suppeditat scuta Sapient. 18. & numer. 16. celebratur prolatum ab Aarone *scutum seruitutis eius oratio*, & allegata per thuribulum, & incensum deprecatio. 2. scuto & oratione, per incensum ac carbones thuribuli, sanctissimam Christi humanitatem, & merita pro nobis denotata, legere est apud Originem hom. 4. in Esaiam, & Richardum Victorinum in Apocal. cap. 1. Quod recedit *scutum cordis labor Domini*, de quo Threnorum 3. estque (interprete S. Gregorio hom. 22. in Euang.)

D d Passio

Passio Christi. [Deus (inquit,) apparuit in carne, laboravit ex nostra infirmitate. Quem laborem passionis eius, dum increduli viderunt, eum venerari noluerunt. Quem enim videbant carne mortalem, dedignati sunt credere, immortalem esse diuinitate. Vnde etiam Hieremias ait: *Reddes eis vicem Domine, iuxta opera manuum suarum: dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Ne enim predicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis eius laborem dedignati sunt; quasi eundem laborem illius pro seculo tenuerunt: ut eò ad se transire eius verba non permitterent; quòd eum laborare, usque ad mortem viderunt.] Eadem libro 33. moral. cap. 30. Alio ergo sensu quam impiis Iudæis, Passio Christi est nobis scutum, quatenus illius recordatione regimur, & munimur, omniaque nequissimi tela ignea exinguimus. Scutum planè non ad hoc a Poëta illo seculo gaudij simul immensi, & tristitiæ acerbissimæ imaginem exhibente, ut est apud Clementem Alexandrinum 5. Strom. cap. 6. ex Iliad. 18. *in fine*, qui mortalem eius sensum adhibet, ab eo diuersum quem suggerit Themistius oratione 1. & ab alio item sensu quem habet Maximus Tyrius differt. 37. Ut ut sit, Passiois Christi scutum, his in salutem & læticiam, illis in luctum & excidium fiet. Scutum verè de cælo nobis demissum, non ut fabulosa illa ancilia, de quorum religione summa, Lactantius 1. instit. cap. 21. Vnde meritisimò dicitur, *scutum bona voluntatis Dei coronans nos.* Vtinam circumdari eo liceat in morte, & amplexari fructuosius ac potiori iure quam factam ab Epaminonda, qui ut est apud Trogum lib. 6. moriens delatum ad se clypeum, quo vsus in bellis fuerat, affari postremò & amplexari, ac stringere, quasi de se insigniter meritum voluit. Huic scuto impositus in obitu, cælestis imperium spondere sibi iure possit, non secus ac Chazari (ut est apud Constantinum Porphyro genitum, de administ. imperij cap. 38. *in fine*), creabant principem, impositione eius in scutum. Quo item modo, Iulianum Apostatam, creatum in Gallia Imperatorem supra retuli ex Ammiano lib. 20. Videtis Pithæum secundo Aduers. cap. 6. Interim dum hic inter timores, nocturnos versamur, optandum hoc scuto aduersus eos circumdari; nam super omnem gloriam & armaturam hæc protectio:

Galea.

462 Galea salutis, subiicitur apud Apostolum: quam Hieron. ad hunc Apostoli locum sensum nostrorum qui omnes sunt in capite, atque adeò cogitationum & consiliorum omnium, incolumitati ac integritati adhiberi, animaduertit. Videreturque hæc Galea caput obducentis ac munitis interpretatio, plenior: tamen nec respicio quod S. Basilius hom. 2. de ieiunio, differentiam spiritualis & carnalis armaturæ sigillatim profecutus, *Galeam salutis* interpretatur spem salutiferam, & præiungit in se Apostolus 1. Thessal. 5. qui Galeam salutis, spem differtè nominat. Quid si etiam sinceritatem doli expertem, dicamus

esse hanc salutis Galeam? Sane habent & contrario milites satanae Orci Galeam à Nazarenò oratione 3. numer. 62. memoratam ex Poëta, qui illados E Iouem inducit caliginem quandam Græcis magica arte offundentem, ne ab ipsis perspicereetur, ait Nonnus lib. 1. expositionis fabularum à Theologo tractatum num. 52. longè plurima ex variis de ea Galea Paschalius lib. 10. de coronis cap. 20. Vafritiem itaque in omnes se formas inmutantem, & duplicatam animi nulli parentem, eo nomine signat Theologus referens eodem, quod de Gygis annulo est fabulis proditum: Ac miles Christi, sinceritatem & veritate prælata, non timet videri quod est; quia nihil penes se habet erubescendum. Quomodo cumque ex prædictis modis Galeam militis Christi accipiamus, nihil ad eam, omnis splendor Galearum seculi, quantumvis apud varios varius & perillustres: de quo latè supra Paschalius à cap. 13. ad 21. Galeas residentes hyacinthis, inter cetera opulentie argumenta, recenset Claudianus lib. 2. de laud. Silie. Sed ea mera inanitas & vanitas plus obicit discriminis, quam munit militem.

Gladiv.

Gladium Spiritus, ipsemet Apostolus aliter interpretationi non permittit, & Gladivum (inquit) Spiritus quod est Verbum Dei. Sed cum Verbum Dei, vel scripturale, & subditens, vel pronuntiarium, quærit potest etiam verbo tribuat Paulus rationem Gladij Spiritus. Sanctus quidem Augustinus in Plal. 7. ad illud *Gladium suum vibrabit* egregè exhibet Christum specie gladij, cuius diuinitas sic veluti lamella, aut verutum, theca autem sic humanitas. [Potest (inquit,) ipse homo Dominicus, gladius Dei intelligi, bis acutus, id est framea, quem non vibravit primo aduentu, sed tanquam in vaginas humilitatis abscondit. Vibrabit autem, cum in secundo aduentu veniens indicare viuos & mortuos, in manifesto splendore charitatis suæ, iustis lumine suo, & terrore impiis coruscabit. Nam in aliis exemplaribus, pro eo quod est, *gladium vibrabit, frameam suam splendidissimè significari arbitror, vltimum Domine claritatis aduentum: quandoquidem ex ipsius persona intelligitur, quod alius Psalmus habet, libera Domine ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.*] Et in Psalm. 44. ad illud *accingere Gladio tuo*, sic illud glossat. [Gladium tuum, quid nisi Verbum tuum: Iho gladio stravit inimicos, illo gladio diuisit filium à patre, filiam à matre, nuntium à socro. Legimus hæc Euangelio; non veni pacem mittere, sed gladium. Et erunt in una domo, quæque diuisi aduersum se, duo aduersus tres; & tres aduersus duos erunt diuisi. Id est filius aduersus patrem, filia aduersus matrem, nuntius aduersus socrum suum, Diuisio hæc quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit? Et cetera fratres, etiam quotidianis exemplis videmus hæc. Placet iuueni alicui Deo seruire, displicet patri; diuisi sunt aduersum se. Ille procipt patri; diuisi sunt aduersum se. Ille amat cælestem,

Christus, Rex Exercituum Domini. 209

Iesum. Aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam iniuriam, Deus solus illi praefertur, & tamen litigat cum filio volente seruire Deo. Sed fortior est iste gladius spiritualis separans, quam copulans natura carnalis. Fit hoc, & de filia aduersus matrem, multo magis, & de nura aduersus socrum. Exponit haec fuse & subtiliter, de Gentibus & diabolo patre; deque Synagoga socro, & Ecclesia nuru. Tum subdit. [De potentia huius gladij loquebamur, cum ista diceremus. *Accingere gladium tuum, sermonem tuum circa femur tuum potentissime.* Circa femur habens gladium. Quid est circa femur? Quid significat de femore? Carnem. Vnde illud est, non deficiet princeps de Iuda, & Dux de femoribus eius? Nonne & ipse Abraham, cui promissum erat semen in quo benedicerentur omnes gentes, quando misit seruum suum ad quaerendam & ducendam uxorem filio suo, vnde veniret illud semen sanctum, in quo benedicerentur omnes gentes; fide tenens, in illa veluti humilitate seminis esse magnitudinem nominis, id est filium Dei, venturum ex filiis hominum, per semen Abraham; fecit ipsum seruum suum quem mittebat, ita sibi iurare, *pone*, (inquit,) *manum tuam*; ad altare, aut ad Euangelium, aut ad Prophetam, aut ad aliquid sanctum: *Sub femore meo*, (inquit,) *pone manum*, habens fiduciam, nec reuerens turpitudinem; sed intelligens veritatem. Propterea *accingere gladium tuum circa femur potentissime*. Potentissime etiam *circumfemur*, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominis.]

463. Praenotat S. Basilios in Psalm. 44. ad illud *accingere gladio tuo*. [Putamus sane (inquit) & hoc ad Dei Verbum tropice referri, ut carni coniungatur; quod est efficax magis & penetrabilis omni gladio accipiti, & peringens usque ad diuisionem animae ac Spiritus, compagum quoque & medullarum, discretior cogitationum & intentionum cordis. Quoniam femur signum est eius humane genealogiae, ipsa (inquit Scriptura) *egredientes anima ex femore Iacob*. Vt itaque vita, & via, & panis, & vitis, & vera lux, & aliis eiusmodi sexcentis Dominus noster Iesus Christus nominatur: sic & gladius diuidens partem animae affectibus seruientem, & motus concupiscentiae mortificans.]

Beda in cap. 18. Sapientiae, inter fragmenta quae sunt ad calcem romi 7. notat hunc esse gladium durum & debellantem, qui omnia morte repleuit, ut Sapiens eo capite tradit. Machabius Christocephalus hom. de crucis Exalt. hunc esse ait gladium sanctum, durum ac fortem, super serpentem, de quo Isaias cap. 27. Rupertus optimè Zachariae 9. ad illud, *Et ponam te quasi gladium fortium*, monstrat Christum dici gladium, idque ex effectibus Evangelicae praedicationis, ac strage per eam edita, & diuisionibus coniunctissimorum quam Christus se facturum recepit, bene confirmat. Cui verò ignotum Gedeonis gladium, pane expressum, symbolum fuisse Christi Domini? Quod si Antichristus dicitur gladius Satanae, ut est apud S. Gregorium 34. moral. cap. 4. æquè Christus qui ei contrapositus est gladius Dei. Eni ergo

Throph. Raynaldi de Attrib. Christi.

Christum gladium Spiritus, quo miles Christi accingitur, multam in eo stragem editurus, & Dei hostes in ea framea lacte faturus. Hoc gladio praecincti milites Christi, quanta ediderunt?

464. Passim tamen video, Verbum Dei, quo tamquam gladio militem Christi succingit Apostolus, statim verbum prolaticum; sermones inquam de Deo. Deque eo verbo accipitur quod idem Apostolus describit alibi hunc gladium viuum & efficacem, ac penetrabiliorem omni gladio accipiti, pertinentem usque ad diuisionem animae ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum. Quibus vocibus militem Christi qui Verbum Dei tractat, veluti sacrificium exhibere videtur Apostolus iuxta praecaram Gulielmi Parisiensis de vero Christiano tractatore sententiam lib. de legibus cap. 28. in fine. Agens enim de variis sacrificiis, actionum quae claustrales psallendo vigilando, etiam manibus laborando offerunt Deo, subdit. [In his autem sacrificiis excellit oratio cum partibus suis, cum perfecta fuerit. Excellit inquam quantum ad pinguedinem deuotionis. Doctrina autem & praedicatio excellant quantum ad fructum. In doctrina enim, & praedicatione sincera, atque deuota, non solum offeruntur verba, & labor qui in vniuersis sustinetur, sed etiam ipsi auditores qui per eam conuertuntur. Verus enim atque sincerus Doctor, seu praedicator est animalium mimentum sicut legitur Iob. 4. *Concedunt illum amici, diuidunt illum negotiatores*. Et Actuum 10. *Occide Petre, & manduca*. Occisor inquam, & mactator in gladio Spiritus, quod est Verbum Dei sicut legitur ad Ephes. 6. & Hierem. 48. *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine*. Et in Psalmo. *gladius in labijs eorum*.] Plenè in eandem sententiam dissertit idem Gulielmus lib. de Rhetor. diuina cap. 51. Nec malè Origenes homil. 26. in Iosue agens de gladijs perrinis, quibus peracta est circumcisio & eorum per Iosue sepultura. [Sæpè ostendimus, (inquit,) macharam Verbum Dei dictum, quo verbo abscinduntur & purgantur peccata de animis audientium. Hæc ergo virtus verbi diuini, reconditur in eo loco cui datur sermo scientiae, ut opportuno tempore omnia illa quae per donum Spiritus repleta est verbo sapientiae, verboque scientiae, proferat istas macharas in Ecclesijs, & circumcidat secundò eos qui secunda indigent circumcisione. Quod autem dicit *Perrinus macharas*, hoc est è saxo cultros, & non è ferro, artificis opere fabricatos; illud ostendit, quod sermo hic Dei, qui circumcidere de animis auditorum immunditias potest, non ex arte Grammatica vel Rhetorica veniens, neque Doctorum malleis edomitus, aut studiorum incudibus elimatus, sed ex illa Petra descendens, quae de monte sine manibus abscissa est, & orbem terræ compleuit, ac dona spiritalia credentibus tribuit.] Affine est, quod Rupertus lib. de operibus Trinit. in 4. Regum, circa Psalm. 91. Apostolis Spiritus sancti virtute exarctis, tanquam gladijs praecinctum Christum exhibet. Et quod sanctum Cyprianum tanquam macharam representat Diuus Augustinus serm. 114. de

C c 2 diuersis.

diuersis. Videbis S. Gregorium 20. moral. cap. 28. & 29. Theodoretus item Studica Catech. 46. scilicet describit Christiani animum quasi gladium igne fabricatum, & aqua lachrymarum temperatum. Id quod maximè desideratur in tractatibus verbi Dei.

Obiter aduersus commutantes gladium Spiritus, in Lyram.

465 Non id attendunt vani illi concionatores, quos S. Chrysostomus tomo 5. Græcol. serm. 58. homicidis peiores merito pronuntiat. Et realem nominatum fuisse Nestorium hæresiarcham, prodit Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. in fine, qui verbum Dei habent non pro gladio, quo Deus occidat homines in verbis oris sui, non inquam pro gladio Aiod, ambidextri, perfodientis Regem Madiam vt dissertit Origenes hom. 4. in Iudices; nec pro dolabra protuberantias exquantæ, abscindendo quod extat, & in eam incurrit; sed pro lyra & cythara, & carmine musico, quod dulci suauitate sono canitur, vt est apud Ezechielem cap. 33. Quantum hi à vero scopo bellicæ huius functionis aberrant, & quantum malum in Ecclesiam inferant, nulla satis oratio explicet. Scopum sanè tractandi in Ecclesia verbi Dei aduersus hostes animorum, non alium esse liquet, quam præbere Spiritui sancto occasionem, vt ad pulsam externæ vocis, internam gratiam de silice cordis excudat, immitratque inspirationem sanctam, in nobis sine nobis præcreatam. Sic enim de fructu per externam prædicationem quaesito, Philosophatur S. Gregorius homil. 17. in Euang. ad illud *misi eos ante faciem suam*, necnon S. Prosper lib. 2. de vocat gentium à cap. 3. & lib. 1. à cap. 13. Et hac ex causa, Verbum Dei vocatur *gladius sancti Spiritus*, vt dissertit Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 8. & in Psalm. 36. ad illud *gladium euaginauerunt peccatores*, vbi gladium Spiritus sancti, gladio peccatorum opponit. Pulchrè creditus Athanasius in qq. ad Antiochum ex veteri Testamento qu. 92. expendens illud Psalmi 149. *Exultationes Dei in faucibus eorum, & gladij ancipites in manibus eorum*, quod ad verbi Dei idoneos tractatores accommodat. Ab iis quippe salubriter confodi gladio ancipiti diuini Verbi impios quosque, tum extra tum intra Ecclesiam, docet.

Hunc tractationis verbi Dei vsum, & quaesitum ex eo fructum miserè interuertit, qui velificatus vanitati suæ, aut gratiæ auditorum, non gladium in vitia stringit, nec verbi Dei flameam effundit, salubri vulnere ferturus peccatores: Sed linguis hominum loquitur & Angelorum. Hoc quid sit, accipe ex auctore libri 3. de vita contempl. cap. 14. Apud Prosperum. [*Hominum vel Angelorum linguis*, inanem facundiam quorundam significatam debemus accipere; qui omnia quæcunque voluerint, accuratè quidem, atque eloquentè enuntiant: sed quamuis ornate, copioseque disserant, tamen si docendi officium vanitate plendi magis, quam consulendi charitate suscipiant, non vt aliquos doceant sed vt se doctos ostendant; nec profectum, sed plautum à suis auditoribus qua-

rant: si totam conscientiam diligentiam transferant malè dicaces ad linguam, & studiosius eloquentiam velint curare; quam vitam: si supercilio vanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiunt laudari quam fieri: nec sine de sanctitate operis, sed de sermonis elucubratione venustate solliciti: Numquid non tales merito æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur qui in modum tinnientis æramenti, vel cymbali, præclara magis quæque appetunt sonare, quam facere: nec erubescunt, à seipsis aliter viuendo, quam prædicant discrepare: qui vt quoquo modo turpitudinem suæ conuersationis, obnubilant, honesta prædicare non cessant: non vt auditores sui, eorum prædicatione proficiant, sed vt ipsi videantur curare quæ prædicant.] Omnino grauitè ac fusè hanc culpam exagitat Origenes homil. 5. in Ezech. H. sunt caupones miscentes aquam vino, ait Hieronymus Isaia 1. Et vt externæ quoque sapientiæ suffragium huc aduocem, Themistius patet vir Philosophus, referente ipso Themistio orat. 2. de huiusmodi hominum genere stutuebat conuenientissimè. Sic enim de eo scribit Themistius. [Non solum indicendo venustatem confectabatur. Sed quemadmodum dicebat, eos qui in agricultura nihil præter vmbrosarum platanorum, aut cypressorum nemora conferunt; frumento porro, ac vineis indigent, voluptati magis quam alimento studere: ita plane qui vnam in dicendo voluptatem persequuntur, idque vnam quaerunt, suos vt auditores denudant, et verò, quibus alitur animus ac seipso melius efficitur, eloqui neque norunt, neque conantur; illos verò negabat esse Philosophos; vt neque Agricolas alios; sed adulatores nimium & assentatores, & conditores; ac pro medicis, aut exercitationis magistris, magones duntaxat, atque ornatores appellabat.] De hac Ecclesiæ peste, qua vix est in Ecclesia malum vulgare, minus notatum, & tamen tetius & plarium causa dæmoniorum, dicendum iusta de hoc argumento tractatione. Nunc satis sit obiter attingere, verbum Dei, in spiritali militia bellicæ hoc, non esse pro lyra adhibendum, sed pro gladio.

Buccellatum, Christianæ expeditioni.

466 Hoc ipsum verbum, est etiam Christi militibus sic armatis, pro cibo. Plene id præsequitur Origenes homil. 27. in Num. *num.* [Nec quemquam moueat, ait S. Bernardus sermone 5. de Assumpt. quod idem verbum dixerim esse, & cibum, & gladium; quod impossibile vel absurdum sit. In rebus quidem materialibus, aliud hoc, aliud est illud; & alibi quaeritur hoc, alibi illud. In rebus verò spiritualibus, non aliud hoc est, quam illud: nec alibi quaeritur hoc, alibi illud: sed omnia sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in nobis. Ecce enim in natura rerum, quid tam diuersum quam panis & lapis: Et tamen si ad intellectum mysticum referas, utrumque idem significat. Nam idem Christus est dicitur, & panis & lapis; panis scilicet vivus, & lapis quem reprobauerunt ædificantes. Vtrumque

Christus, Rex Exercituum Domini. 211

Verumque quidem est per significationem, licet neutrum sit per proprietatem. [Annona igitur militis Christi, est, cum omne verbum quod procedit de ore Dei, tum maxime Eucharistia: qua idcirco muniti debere pugnaturos tanquam grandium & fortium cibo, sæpe monemur à S. Cypriano & pulchrè epist. 54. & 56. Eius symbolum panes illi, quos transmittit S. Paulinus epist. 46. de buccellato (ut ait,) Christianæ expeditionis. Est vero buccellatum panis militaris ut habetur ex lib. 1. cap. de erog. milit. annonæ & ex Spartiano in Pescennio Nigro. Alibi panis militaris dicitur *paxamadum*, vel *paxanades*, aut *paximatum* ut videre est apud Leonem Imperatorem constit. 10. milit. §. 13. & constit. 12. §. 324. & apud Paladium qui in Alacario vocat panem buccellatum, quem in Pauli simplice vocat paxamatem. Hunc in glossis Hi loci, panem subcinericium, dictum liquer. Quæ omnia bellissime cadunt in Christum in Eucharistia qui est panis militaris, muniens ac roborans fideles ad certamina, ex Augustino serm. 13. de sanctis, & tract. 17. in Ioan. ideoque à Satana Momo ut refert Iulianus Apo. al. 2. sub finem militibus Mythræ dari limitamenta Eucharistiæ institutum est. Insuperque est subcinericius panis, ut docent qui panem Eliæ accommodant Eucharistiæ.

Eorundem sic instructorum & cibatorum securitas humilitate firmata.

467 Instructum armis regentibus & fientibus, cibatumque Christi militem, eadem inuulnerabilem monstrat in hunc modum Origenes homil. vnica in librum Regum *sub finem*. [Et nunc dicitur, quia arcus potentium infirmatus est. Si enim tu indutus sis armis Dei, si scuto fidei sis munitus, & galea salutis obiectus, & lorica charitatis, & gladio Spiritus accinctus, arcus contra te potentium, præ monumentis talibus infirmabitur. Si enim iaculatus fuerit aduersum te vnum aliquod iaculum ignitum, id exceptum fidei scuto continuo restinguitur. Iecit & aliud iaculum; repulsum id quoque à thorace iustitiæ est. Iecit & tertium; & id gladio Spiritus detruncatum est. Mitte fortassis & quartum, quod similiter per galeam salutis abiectum est. Quinque per hæc omnia, homo Dei peritus, inuulnerabilis manserit, tunc arcus potentium nequaquam tot directis spiculis infirmabitur.]

Ut tamen sic vndeumque instructus miles Christi fiat ut dicere cœperam, inuulnerabilis, necesse est, ut ex Apostoli præscripto semper & vbique supplex sit Deo, *per omnem* (inquit) orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu. Quibus verbis S. Chrysostomus ibi, hom. 14. quantum à Christo pendat miles eius, insinuat vult. Et eundem locum excutens S. Augustinus serm. 114. de diuersis, ait nec armati tantum sufficeret huic militi, nisi impetrasset ab ipso à quo fuerat, adiunari. Verè enim non se habet Deus ad milites suos, sicut terrenus Imperator ad exercitum quem ducat. Ei namque duntaxat spectator, & ad summum incentor

adest. Rex autem exercituum Dei Christus, militibus suis ita adest, ut ipsemet in illis prælietur. [Adiuuat certam cum nostrum (inquit S. Augustinus serm. 105. de temp. ad finem) qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam. Clamare enim nouit, adiuuare non nouit: Coronæ veniam parare potest, vires subministrare non potest. Hic enim non Deus. Et fortè dum spectat, plus laborat sedendo, quàm ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adiuuat eos inuocantes Nam vox Athetæ ipse est in Psalmo, Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.]

Sunt Christi milites frameæ & gladij in manu Christi, ait idem S. Augustinus serm. 114. de diuersis. Plurimam hæc frameæ stragem faciunt hostium Dei, sed vibratæ. Nam si Christus eos mouens & agitando ferietur, iacebunt gladij. Sunt iacula & sagittæ filij excussorum, sed nisi adsit qui inuoluet, Christi hostes indennes erunt, vnde quod S. Gregorius hom. 5. in Ezech. ad finem, fuscè prosequitur, in lumine eum in similitudinem fulguris coruscantis, operando grandia, fortia, splendida: sed reuertuntur, & reuertentia dicunt Deo, adsumus; agnoscencia à quo habeant quidquid præstiterunt. Laudabile in hostes Dei; & non fuisse pugnam ipsorum, sed Domini. Hanc putarim esse iubilationem illam Græcè ἀλλήλας, atque clamorem, quo in militum Christi typum, Hebræi, cum sacerdotes tubis clangerent, clamarent valentissimè. Agit plene de eo clamore Origenes hom. 7. in Iosue. Qui etiam hom. 16. in Iosue in fine, refert ex quodam antiquo, hoc fuisse quod præsignabatur cum filij Israël discesserunt, ablingere hostes ut bos herbam, videlicet orando & apprecando sibi Deum. Quod nobis item vsu venit cum victoriam adipiscimur. Christus ipse eodem interprete Origene hom. 2. in Iudices, id professus est, agens de præcipuis suis militibus, qui vsque ad sanguinem resistent Satanae, eiusque ministris. Cum enim declarasset Origenes quomodo Christus in aliquibus sit mortuus, in quibus scilicet nihil operatur, quia viuere est agere, in aliis autem viuat; subdit. [A sanctis quæcumque fiunt, Christus ea dicitur operari, sicut & Apostolus dicit; Omnia possum in eo qui me confortat, Christo. Sed & ipse Dominus in Euangelis de hoc distinctionem pulcherrimam dedit, cum dicit: Quicumque confessus in me fuerit, coram hominibus, & ego eum coram Patre meo qui est in celis. Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo. Vidisti quia confitentes, in semetipso, dixit confiteri: quasi qui ipse in eis viuat & operetur opera vitæ? In iis autem qui negant, non tenuit eandem verbi similitudinem, ut diceret quia qui negauerit in me, & ego negabo in eum: Sed qui negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum, coram Patre meo, ut ostenderet, quia qui negat quidem se, extra ipsum est, qui autem confitetur, in ipso est. Hoc est dicere, Christum in omnibus suis militibus præliari. Quem esse communem in scripturis & Patribus loquendi modum, fuscè monstravi in Tract. de martyrio

Ce tyrio

tyrio parte secunda, capit. 3. à numer. 21.

468 Quid si verò Satan, vt est Dei operum Momus, (vt Nyssen hom. 14. in cant. rectè ostendit.) hac veritate ex tot scripturis deprehensa, fabulam commentus est, cuius meminit Petrus Iatricius, tomo 3. rerum indicarum, cum de Iddo verbis *Diu* in Cambaie regione lib. 5. cap. 30. Fabula est, quam dixeris in hanc rem factam. *Mahesse* nomen potentissimum, permilla seruo nequissimo. Cui nomen Zumbana Zumba in res creatas potestate; seruum nequam intra breue tempus, creatorum rerum omnium tyrannum factum, pulsatus earum gemitibus; cum inaudisset, Crangenam filiam virginem, demisit in terras, cum lectissimo puellarum exercitu, quæ omnes Crangena erant, & in quibus omnibus illa pugnabat ad euerfionem Tyranni. Pugna ab exercitu Crangena, per Crangenam in omnibus bellantem, acerrime & plena cum strage Tyranni exacta est: & creptis tyrannide creaturis, Crangena victrix ad caelos est regressa comitante exercitu puellarum, in quibus pugnatat felicissimè. Perspicuum esse existimo, occasionem confingendæ huius fabulæ, ex Christiana veritate quam tractamus, petitam esse. Quod enim Lactantius lib. 1. instit. cap. 11. Arhenagoras lib. de resur. *initio*, aliique obseruarunt, pleræque Poetarum veterum fabulæ, ex adulteratione sacrarum historiæ sunt fabricatæ. Ex quo autem fides Christiana orbi innouit, veterator Tartareus, (quod latè apud Iosephum à Costa in Historia noui orbis lib. 5. à cap. 11. videre est,) imitatione Christianarum veritatum multa suis mancipiis commenta obstruxit, vt veritas aliquando patefacta, æquè fabulosa haberetur, ac aniles illæ narrationes, vt Lactantius lib. 7. cap. 22. & Cyrillus Hierosol. Catechesi 15. animaduertunt. Hanc igitur quam protuli, perspicuum videtur pari arte confictam esse, ad obnubi landam Christianam veritatem, quam proposui de Christo in Christianis militibus pugnante.

Rectè igitur ab vno ex primariis Christi militibus (Apostolum dico,) pronunciatum est 2. Corinth. 10. *in carne ambulantes non secundum carnem militamus; nam arma militia nostre non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.* Quid sit tractare arma potentia Deo exponens Theodoretus, ita id accepit, vt sit sensus, vsus armorum spirituum, cedere in Dei gloriam, & quasi proficere Deo. Sed melius S. Chrysostomus ibi, hom. 21. *potentia Deo arma*, dicta vt significetur, quis per hæc arma militet, eaque agitet & moueat. [Considera (inquit de Paulo,) illius humilitatem, non enim dixit *nos potentes*, sed, *arma nostra potentia Deo*: Non nos illa talia effecimus, sed Deus ipse. Quoniam enim flagellabamur, expellebantur, & innumera patiebantur dura, quæ infirmitatem testabantur; ostendens Dei robur, (inquit,) *sed Deo potentia sunt*. Hoc enim maxime ostendit illius virtutem, quod per hæc vincat. Et ita licet nos his vestiamur & vtamur, sed ipse est qui per illa militat & operatur.

Precisi à Christo semper milites eiusmodi, in necessitatibus, sed maxime in summa, ab Antichristo,

469 Huiusmodi milites & bellatores, toto sæculorum decursu quibus stetit stabitque Ecclesia, prouidit & prouidebit semper Christus dominus, ad tutelam & defensionem regni sui. Idque anterioribus sæculis experimento probatum est, & patet etiam modo in dies. Nam qua proportionem hostis aliquis suboritur, & noua Tartari phalanx emergit, notarunt Nyssen oratione de S. Basilio *sub initium* Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 11. aliique bene multi, solemne esse Deo submittere Ecclesiæ novas copias auxilantes & novos bellatores, bellicque duces.

Quò verò acrior & periculosior erit postrema Ecclesiæ impugnatio à postremo Satanæ excreatu, eo Christi prouidentia in hoc genere luculentius prodetur. Notauit hoc pulchrè Blesensis serm. 3. *sermè initio* verbis illis. [Ecclesia Dei, est vt castrorum acies ordinata. In acie præstantium præmittuntur fortiores, in fine ordinantur fortissimi, in medio formidolosi & imbecilles. In hunc modum in primitiua Ecclesia fuerunt vici fortes, qui primos impetus huius sæculi sustinuerunt, qui Ecclesiam Dei fundauerunt sanguine suo. In fine erunt fortissimi, quorum erit tanta tribulatio, quod si fieri posset mouerentur electi. Temporibus verò nostris tenera quædam est & cuitata medietas, quæ vix credere sufficit nedum præliari. Prouidebuntur ergo in fine Triarii, atque fortissimi. Quod enim ex innumeris scripturis constat, illata orbi vniuerso Euangelij (Lucæ, tempestas vltima, omnium quæ nauem Ecclesiæ agitarint periculosissima & immanissima, sub vltimi diei appulsu excipiet, sub Antichristo Tyranno. Sic nominabitur homo singulariter nequam, Christi velut antagonistes, eique è diametro oppositi, qui non erit quidem c. put impiorum omnium, vt quibuldam visum est, (id enim Luciferus potius tribuendum, vt docet S. Augustinus lib. 3. de doct. Christi. cap. 37. & pulchrè S. Hilarius in psal. 139. ad illud *caput circum eorum*. Tamen vt habet S. Thomas 3. part. q. 8. art. 8. se habebit aliquatenus ad Luciferum, licet Christus ad Deum. [Sicut enim vniuersus (ait Theodoretus in epist. diuin. decet. c. de Antichristo.) Dei filius, sanctis quidem Prophetis, & sacris Apostolis, & aliis etiam Sanctis, dimisit dona sancti Spiritus: homo autem factus non particularem aliquam sumptæ naturæ dedit gratiam, sed omnem diuinitatis plenitudinem, vt dixit Apostolus, *visum est ei in ipso habitare*: ita Diabolus aliis quidem hominibus, quoscumque peruersit esse operarios iniquitatis non omnes inuicem species iniquitatis: huic autem ipse totus coniunctus, omnis generis vitiorum & scelerum machinas, per ipsum ostendet.] Posito ergo influxu quem Christus habet in omnes bonos, non item Antichristus in omnes malos, sicut Christus est primum & lectissimum Dei organum ad bona omnia, ita nequam ille erit præcipuum instrumentum Satanæ ad omne scelus. Et

Christus, Rex Exercituum Domini. 213

Et quemadmodum est in Christo plenitudo sanctitatis præ omnibus bonis: ita est in Antichristo plenitudo & vniuersitas iniquitatis, præ omnibus malis, item infra Luciferum. vnde coniectari potest vertex nequitiae ad quam nequaquam ille pertingeret, quem illi loco Origenis ex lib. 6. contra Celsum, vicamque adumbro sic enim celsum quædam de Antichristo balbutientem aggreditur. [Quoniam & de Antichristo, (vt vocatur,) quædam Celsus interiecit, nec Danielis, nec Pauli testimoniis de eo perlectis, vel Seruatoris apud Euangelistas de aduentu eius vaticiniis; pauca etiam de his dicenda sunt: quod sicut variae sunt hominum facies multum inter se dissimiles, ita nec corda eorum sunt similia: vnde apparet maximam in his esse differentiam. Non absurdè igitur duas extremitates (vt ita nominem,) in omnibus esse dixerimus; vnam bonorum, contrariorum alteram: vt boni extremitas intelligatur in eo qui secundum Iesum est homine, à quo in hominum genus promanauit tanta conuersio, medicina, & profectus in melius: Contrarij vero extremitas, in eo qui est iuxta eum qui Antichristus dicitur. Deus autem qui omnia comprehendit sua præscientia, & virosque videt, voluit de his per Prophetas significare hominibus: vt qui sermones eorum intelligunt, adhæreant melioribus, fugiantque contraria. Oportebat autem vt alterius extremitatis præstantissimus appellaretur Dei filius propter suam excellentiam, & huic ex diametro aduersus, diceretur filius mali Daemonis, Satanæ & Diaboli. Et quoniam tunc maximè exuberat malitia, perueniens ad extremum sui fastigium, quando boni specie prætextitur; idè per nequissimum illum, fiet ei potestas cooperante ipsius patre Diabolo in edendis signis, prodigijs, & falsis virtutibus. Ista enim vulgares magorum præstigias quæ sunt ope Daemonum, longè à tergo relinquet ipsius Diaboli cooperatio ad imponendum humano generi.]

Antichristus homo singularis, venturus ad mundi metam, omnia vastaturus.

470 Suppono porro Antichristum esse hominem singularem & venturum sub mundi finem, paulo ante Christi iudicis aduentum, quia ita traditur in innumeris Scripturis, & traditione Patrum, quos proferunt. Hæreseologi innumeri, auerentes à Romano Pontifice æquè insulsißimam atque atrocissimam calumniam Nouatorum, quibus Christi in terris Vicarius, est ille homo peccati, à Paulo descriptus, & tam terribis horridisque notis præmonstratus. Videtis præsertim Bellarminum toto lib. 3. de Rom. Pont. & à cap. 9. Apolog. contra Iacobum. Item Sanderum lib. 9. de vitijs. Monarch. Maluendam & Lessium de Antichristo; Suarezem toto lib. 5. contra Iacobum, & Tomo 2. 3. partis disput. 54. & 55. Coccejum tomo 2. lib. 10. art. 3. Valentiam tit. 4. disput. 11. quæst. 2. puncto 2. Hentiquem l. de fine hom. cap. 22. & 23. Iustinianum 1. Ioann. 2. v. 18. à num. 6. Fulsißimè, Magalianum in benedictionem

Dan. sect. 7. annot. 4. & seq. q. Acoßa lib. 21. & 3. de temp. nouissimis & antichrist. omnino multas Antichristi ac Romani Pontificis vigentem Bzouium libi de Romano Pontifice cap. 4. qui alios innumeros adducunt; & ostendunt, tantum proportionem seruata abesse à Christi Vicario Antichristum de quo Paulus prænuntiavit; quantum Christus verus, ab eo quem Sectarij pro Christo habent, desperabundo, ignaro, & culpa obnoxio. Quod enim dixit Symmachus Papa initio Apologetici ad Anastasium, Imperatorem non esse hæreticis Christum, sed semi-Christum, Corrigendum est si de nostri xui hæreticis agatur; dicendo potius cum S. Irenæo lib. 3. aduers. hæreses cap. 17. & cum S. Augustino 16. contra Faustum cap. 10. & cap. 5. Enchiridij, & sermone 31. de verbis Apostoli & tractatu 3. ac 6. in epist. Ioan. non habere Hæreticos illos Christum verum, qualem regula fidei proponit, sed duntaxat imaginarium, imò indignissimum Christi nomine, planèque Antichristum.

Sicut autem cum omni derelictione repellendi sunt hi Antichristiani sic transformantes Antichristum Christo iudici præcursorum; ita audiendi non sunt Catholici nonnulli qui Antichristum negant fore vnum singularem hominem, proximè præuium Christo, sed vel censent Mahumetem, vel esse definire illum Antichristum de quo Scripturæ & Patres tam multa produnt; vel certè esse maximam & studiosissimum conditorem regni illius quod Antichristi dicitur. Ita Ioannes Annus, propædæque eò Cyltaurus ad lib. 4. Damasceni de fide cap. 27. Subscribunt Genabrardus & Feuard. ad lib. 5. Irenæi cap. 30. quos meriti impugnat Pererius Opusculo de hoc Argumento in calce disputationum in Apocal. & sufficienter videtur relict ex proximè subsequente Antichristum aduentu secundo Christi, vt manifestè habet Paulus 2. Thessal. 2. & innumeri Patres & quibus in hanc rem fusè argumentatur Suarez tomo 2. 3. partis disp. 54. sect. 2. Et lib. illo 5. cap. 2. num. 2. censet Antichristi singularitatem, fide certam esse.

471 Hic igitur homo peccati, sub mundi finem per multos annos præliabitur humana prælia, & ex modicis initijs ad omnium qui vnquam fuerint amplissimum dominatum perueniet, domitis alijs principibus qui Romani Imperij reliquias eò vsque superstites lacerauerint. Quod manifestè prædixit Dani cap. 7. agens de 4. bestia, hoc est de Romano Imperio terram vniuersam deuorante, de quo decem eius cornibus, idest decem Regibus Romanum Imperium inter se partitijs, humiliandis & conterendis à potentiore vno, qui consurget post eos; idest ab Antichristo. Sic enim accipiendum esse eum locum, S. Hieronymus ibi, confutato Porphyrio ostendit his verbis. [Ergo dicamus quod omnes D. D. Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruentum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & & vñdecimum surrecturum esse Regem paruum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit: id est Egyptiorum Regem, & Africæ,

Africa, & Ethiopia, sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alij Reges victori colla submittent. *Et ecce (ait,) oculi quasi oculi hominis, erant in cornu isto*; Ne cum putemus iuxta quorundam opinionem, vel Diabolum esse Dæmonem, sed vnum de hominibus: in quo totus Satanus habiturus sit corporaliter.]

Ab ea Regum ac Principum cæterorum deiectione, per annos tres & dimidium, futor corporati huius Satanæ, conuerteretur ad perendos sanctos, & Christi regnum euerterendum. Triennium enim illud & dimidium quo duraturum Antichristi regnum habet Ioannes in Apocalypsi & Daniel cap. 12. non esse numerandum ab initio dominatus & regni alicuius per Antichristum adepti, ut volunt Ribera Apocalypsis 8. & Bellarm. lib. 3. de Pontif. cap. 8. Sed à fine temporalium bellorum quibus vniuersum orbem temporaliter subegerit, recedè statuunt Rupertus lib. 8. in Apocal. & Acoſta lib. 2. de temp. nouiss. cap. 8. Pererius lib. 15. in Dan. *sub medium*; ac Suares lib. 5. contra Iacobum cap. 9. Et tunc veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsque ad illud, eritque tribulatio magna, qualem non fuisse ab initio mundi neque aliàs vnquam futuram, Christus ipse præmonuit. Tunc dabitur illi bestia bellum gerere cum sanctis, & eorum plerisque vincere: & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.

*Quomodo Ecclesia à Christo prouisa,
contra Antichristum.*

472 Non deerit tamen Christi prouidentia electis suis. Itaque propter electos breuiabuntur dies illi, & multi ac lecti prædicatorij, sicut aliis retrò ætatibus, quod longa inductione anteriorum & Christianorum temporum probari possat, nisi id demonstrasset Gregorius Nyſſenus oratione in Basilium *sub initium*, iam supra laudatus: ita multo magis in hac postrema Ecclesiæ oppugnatione, submittentur à Christo ad regni sui tutelam, & repulsam truculentissimi hostis. In his eminebunt duo viri sanctissimi, Enoch & Elias. Nam Eliam in fine mundi debellaturum aduersus Antichristum, & concionaturum fidem Christi, indubitatum est ex cap. 4. Malachiæ, & ex cap. 48. Ecclesiastici, & ex Matthæi 17. Idque negare, in tutum planè censet Ribera Malachiæ 4. num. 11. Sanctius 4. Regum 2. num. 34. Acoſta lib. 3. de temp. nouiss. à cap. 6. Suares tomo 2. 3. partis disput. 55. sect. 1. & 2. & libro de Antichristo cap. 11. & aliquot sequentibus. Maluenda lib. 9. de Antichristo & lib. de Paradiso cap. 87. & 88. Pererius lib. 15. in Daniel. Quiros in cap. 4. Malach. num. 5. Feuard. ad lib. 5. Irenæi cap. 5. num. 3. & Autor qui notationes apposuit editioni Louaniensi operum S. Augustini ad lib. 1. de peccat. merit. cap. 3. & ad lib. 2. contra Pelagium & Cœlestium cap. 23. qui multos Patres in eam sententiam adducit. De Enocho res non est adeò certa. Et multi qui de Elia rem certam putant, negant de Enocho, illumque Eliæ socium qui Apoca-

lipſeos 11. refertur, sicut fore Moſem; & quemadmodum Eliæ assistit in Transfiguratione, ita & eidem assistit in expugnatione immanissimi omnium hostis aduersus Ecclesiam bellaturo. Ita Maldonatus Matth. 17. post S. Hilarium & Ambrosium, & ibidem Iulianus, itemque Gagnius Catharinus, & Ambrosius quos adducit Thyraus lib. de appar. Thabor. cap. 8. num. 19. Communissima tamen sententia, quæ appetè insinuat Ecclesiastici 44. agnoscit, socium Eliæ fore Enochum, eamque ex multis Patribus tradit Thyraus ibidem num. 21. Non me lateat, quam sollicitè Aleazar. in cap. 11. Apocal. not. 6. laborarit ut omnia præsidia quibus traditio de aduentu Enoch & Eliæ nititur, labefacteret, ut proſopopeias magnæ sapientiæ & sanctitatis sub Eliæ & Moſis personis, ad quas detorquet duos testes cap. 11. memoratos, vtumque fulciat. Sed malum planè & expedita cæterorum interpretationi adhærere: quamuis inter hos quoque est difficultas aliqua quoad datum merendi sanctorum illorum hominum, quibusdam actibus tantibus adhuc durare eorum meritum, ut Viegæ in cap. 11. Apocal. commenta. 5. secta. aliis negantibus ut Suare tomo 2. 3. partis disput. 55. sect. 1. & lib. 12. de gratia cap. 15. à num. 8. qui suspensionem status merendi his sanctis viris in translatione captam, postea in fine vitæ, cum reuenerint pugnaturi, reuocandam faceret; nec tot labores ipsamque martyrium nihil illis proficiant; Alij vero problematicè vtumque defendi posse affirmant, ut Pererius lib. 7. in Genes. disput. de Enoch qu. 5. Sed facile est Deo pro sua sapientia & æquitate, statuere in ea causâ, quæ debet ob implexitatem eius aliquam, periclitari veritas aduentus & certaminum, ac martyrij sanctissimorum illorum hominum, proutuenda Ecclesiæ & regno Christi. Horum necem, excipiet post aliquod spacium, Antichristi exitium, non à S. Michaelē, ut iocatur Petrus Damiani opusculo 59. sed à Christo ipso, spolia opima captante inferendum, ut habet Apostolus 2. Thessal. Etiam si fabulosum sit, quod in Lactantio fabulosis meritis damnat Floridus Sabinus 2. subſcript. 4. nempe quod Christus in aère sit cum Antichristo pugnaturus, & ex prælio victoriam reportaturus.

Victoria, & raptus regni Dei, per violentiam militum Christi.

473 Christo ipso Rege exercituum, sic militibus suis compugnante & concertante, minus mirum est, hostes tameti numerotam multos, astu & usu bellandi tam idoneos ad nocendum, malignitate autem & obſtinatione propè incredibili, repelli à Christi militibus; qui victoriam suam in Christum hominum compugnantem referunt quam humillimè; Christum prædicantes, de se autem taciti, iuxta illud quod in hunc sensum exponit Origenes hom. 12. in Iosue, *reuerſareſ vniuersus populus ad Iesum incoluntis*, & *non mirum videri poterit, potentes aduersus carnem & sanguinem, aduersus mundi re-*

Christus, Rex Exercituum Domini. 215

floues tenebrarum harum, aduersus ipsum quodammodo Deum potentes apparere, ipsamque Dei regiam, nouos Alcidas, caelestibus virtutibus exubias agentibus ac propugnantis: munitam, aditu propè inaccessam intrare, penetrare atque diripere, duce Christo Rege exercituum, & annuente Deo qui quod illis hereditatis titulo, & mera largitate concedere poterat regnum, maluit gratia eorum violentiae ut locus esset merito, elargiri. [Talis violentia (ait S. Paulinus epist. 39. adhortans militem secularem ut caelo militet) Deo grata est. In hanc rapinam, manus tuas verte, quae crimen non habet, & confert salutem: Et quid tibi militarium stipendiorum curationes cum inuidia violentiae curare, cum forsitan pro tua honestate, etiam debitorum moderatus exactor sis; cum sine cuiusquam inuidia, & cum Dei gratia, possis esse violentus, ut rapias regnum caelorum, quod tibi auferri patitur, & gaudet Christus inuadi: quia pro abundantia charitatis & potentiae suae, capax est & largiendi quod tenet, & quod donauerit, obtinendi.]

474. Gigantomachiam hanc sacram, verbis Richardi Victorini in Psalm. 28. repraesentabo cuius consili potest oratio paulò quidem longior, sed compendiosius descriptionis prolixitatem amittens. Sic habet, post exhibitam militum Christi sub tanto Rege fortitudinem, & animos aduersus hostes omnes regni Christi. [Puto quia hic est eis opus fortitudine magna mirabilique virtute, antequam irumpant summum illud habitaculum quod operatus es Domine, Sanctuarium tuum quod firmauerunt manus tuae. Est enim firmatum in summis montium, & montes in circuitu eius. Nec nisi duabus tantum viis, una hinc, & altera inde adiri potest. Vniuersae enim viae Domini misericordia, & veritas. Est autem utraque via admodum arcta. Siquidem arcta est via quae ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per eam. Multum tamen est inter istam, & aliam. Est enim via veritatis, non solum arcta, verum etiam multum ardua. Illa autem planior, sed multo periculosior, & quae vix toto vitae termino conficitur. In quibusdam autem, nec ante mundi finem finitur. Ista denique est fortium, illa autem infirmorum. Istam ascendunt viri duntaxat ad bella doctissimi, illam non ascendunt nisi pauperes, infirmi, & mendici. Isti ad vim faciendam, illi ad eleemosynam petendam. Hae non admittit nisi illos tantum qui iam profecerunt in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. Illa recipit pauperes, & debiles, caecos, & Claudos, vulgusque promiscuum, eorum duntaxat qui faciunt sibi amicos de mammona iniquitatis, ut recipiantur in aeterna tabernacula, & ut potè misericordiae viam tenentes, sint beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur. At illa terribilis castrorum acies ordinata virorum fortium, & eorum qui possunt ad bella procedere viam veritatis eligentes, ut potè vim facturi, arctam illam, & arduam illam quae ducit ad vitam cum alacritate apprehendunt, & cum summa festinatione per ferricam mandatorum de valle lachrymarum ascendunt de virtute in virtutem, quae retrò

Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

sunt obliti, & in interiora extendi, sagunt semper magis magisque sapere quae sursum sunt, non quae super terram; donec vix cum multo labore, tandem aliquando apprehendentes montis verticem perueniant usque ad ciuitatem munitam. Collecta itaque omni multitudine in summis montium, & secundum castrorum disciplinam acie ordinata mirabiliter & montibus aeternis, cingunt urbem, & inchoant obsidionem, & in primo quidem congressu ciuium constantiam, telorum iactu emollire nituntur. Assistant hinc sagittarii, illinc fundibularii, laciuntur itaque ab aliis, suspiciorum sagittae ab imo cordis emissae, ab aliis ignitae orationis tedae accensae: volant vndique sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis. Hinc isti in funda, & lapide, illinc illi splendore fulgurantis hastae sunt dant crebros ictus in gemitibus inenarrabilibus, vniuersis rugientibus à gemitu cordis sui. Nec dubium in tam acriter certamine, in tanto talium telorum imbre, quin caelestes illae angelicarum virtutum phalanges crebra suscipiant miserationum vulnera; in tantum ut sauciorum caterua, necessitate virgente clamare cogatur, vulnerata charitate ego sum, ut potè pietatis affectibus medullitus confossa, & passim perforata. Eriguntur praeterea machinae, meditationum, speculationum, contemplationum. Patent iam visibilia interiora: ab alta siquidem illa contemplationis machina, facile conspiciuntur quae intrinsecus sunt, vel geruntur: Applanatis denique ad murum machinis, & electorum ex omnibus bellatorum fortium ordinibus intus dispositis, aggrediuntur communes propugnatores ciuitatis. Sed ne spiculis ex aduerso venientibus, aliqua errorum vulnera suspiciant, induti lorica fidei protegentur galea spei, tenentes in manibus gladium spiritus, quod est verbum Dei. His igitur è machinis, illis è propugnaculis fortiter dimicantibus, vicissim feriunt & feriuntur, vtrinque vulnerant, & vulnerantur, his compunctionis, illis pietatis vulnera suscipientibus.] &c. quae allegorice prosequitur ac concludit. [His & aliis duntaxat qui in eis audaciores sunt irumpentibus penetralia diuini palatii, ubi & audiunt arcana illa quae non licet homini loqui; diuiduntur ceteri per vicos & plateas ciuitatis, persecutantes omnia, penetrantes abdita quaeque locorum, & adium secretiora, nihil intactum praetereuntes, nihil indiscussum relinquentes. Intrant tandem (nullo obstante,) in aeterna gazophylacia caelestium thesaurorum, in quibus abscondita iacet altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei. Rapiunt itaque quisque quod potest. Ab alio sermo sapientiae vendicatur. Huic cedit discretio spirituum, illi genera linguarum. In hunc itaque modum illae gazae spiritualium charismatum, ab aliis & aliis varia sorte diripiuntur, ut constet quod veritas attestatur, Quia regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.]

Ee Anti

Antitheses militum Christi, & Satanae.

475 Hunc sibi praeliorum finem auspice Rege virtutum spondere potest strenuus militiæ spiritualis bellator, dum modò perferet in pugna ad finem vsque, nec ad hostem perfidus transfuga defecerit, Regem sibi non virtutum, sed criminum, non præficiens. Nam & Satanas regium nomen Deo soli debitum, sibi arrogat. Id quod Gregorius Nyssenus hom. 14. in cant. ad illud *ut electus libamus*, decernens libanum electum à reprobo, pulchrè his verbis aperuit. [Proprie, verè, ac primariè, Rex vnus est, Rex ille creatorum omnium. Nihilominus etiam mundi Dominus, ille tenebrarum rector, regium sibi nomen arrogat. Legiones Angelorum sunt apud verum Regem; & malorum item geniorum legiones apud Imperatorem potestatis tenebrarum. Imperia, potestates, copiae, sub sunt Regi Regum, & Domino Dominatorum; Idem & alter ille, (quemadmodum Apostolus ait,) habet imperia, potestates, copias quæ abrogabuntur, cum malo in nihilum redigetur. Sunt enim hæc Apostoli verba: *cum aboleuerit omne imperium, & omnem potestatem, & omnem vim*. Cernit vates ille sedentem sublimi ac elevato in solio Regem gloriæ; Idem ille solum suum supra fidera se collocaturum proficitur; ita ut altissimo sic similis. Habet in ampla domo sua, Dominus vniuersi, vasa electionis: idem ille vasa iræ habet, compitata ad interitum. Præterea vitam & pacem per Angelos, dignis suppeditat Angelorum Dominus; Etiam ille furor, & iram, & afflictionem, per sceleratos Angelos immittit. Et quid opus est singula commemorare, per quæ aduersarius ille contra naturam ipsius boni sese erigit? Nec ab similibus Origenis sententia est homil. 1. in *Isaiam ipso initio*, de eodem Rege est quidem & peccati Rex Apostolus ita sciens ait, *non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore*. Miserabilis ille homo, cui peccatum regnat, qui tali se tradidit Regi, respuens regnum Dei & subiiciens se voluptati. [Hunc igitur malitiæ Regem, & altitudinem extolgentem se (ut Apostolus loquitur,) aduersus scientiam Dei, quisquis prælegerit Deo, stipendium à Rege suo expectet necesse est, quale ipse retribuit verò & legitimo Rege suo, à quo nequiter defecit: & quale Christus Rex virtutum, impiis ac transfugis quibusuis reponet. Panopliam verò suppeditabit, qualentem habet visio horrenda apud Cantipr. lib. 2. Apum cap. 49. num. 5. [Si huius Regis exercitum, virtutes faciunt, (ait Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma) qui Dei militiam deferens, se totius malitiæ inuentoris militem, abiecto iustitiæ thorace, & omni armatura pacifica, in acie aduersariorum constituit; quomodo hic à veritate alienus, sub iustitiæ Rege collocabitur? Eius enim armaturæ insigne, planè Regem ipsius indicabit, quippe qui viuendi ratione, tanquam impressa armis imagine, ducem ostendit suum. Quare beatus ille qui in diuina malitia constitutus est, & ordinibus eorum qui in millibus mil-

lum numerantur adscriptus, & contra militiam virtutibus armatus, quæ in eo qui ipsas inducit, imaginem Regis demonstrant.]

Quanta verò sit hæc dignitas & nobilitas, atque adeò è contrario dedecus, militum Satanae nemo satis explicet, nobilitatem sanctæ popularæ ac terrestriam, ferè metiuntur militari gloria ut plenè prosequuntur Tiraq. lib. de nobil. cap. 8. Torturetores lib. 2. de nobilit. gentilit. cap. 2. Zarabius lib. 1. de nobilit. cap. 9. & 10. Alcianus lib. de sing. ceram. cap. 30. ex antiquo sanctæ stylo, nomine *militis* designatur nobilitas, ut Tiraq. supra num. 3. demonstrat. Rectè proinde S. Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Timoth. ad illud, *laborem sicut bonum miles Christi lesu*, sic concludit. [Quanta verò dignitas est, esse militem Christi. Considera terrenos Reges. ut magnam quidam potent, sub eis militant.]

Vsus doctrinae.

476 Sed ne vano gloriemur nomine, quod quorundam titulum ac tantum decus amimus, ad omnem diuitiam aliescendum est. [Vocati sumus (ait Tertullianus lib. ad Martyn. cap. 3.) ad militiam Dei. Viui, iam tunc, cum in sacramento verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de pappilibus expeditis & substrictis: ubi omnis duritia, & imbonitas, vel infirmitas consistit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati iam ediscunt; in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, restandum deficiendo. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expauescant. De vmbra ad solem, & sole ad coelum, de tunicâ ad loriceam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde benedicite, quodcumque hoc durum est ad exercitacionem, virtutum animi & corporis deputate.]

Addenda etiam Apostoli sententia citato loco epistolæ ad Timoth. *nemo* (inquit) *militans implicat se negotiis secularibus*. Latinus Interpretes ut Pauli scopolam aperiret, ostenderetque eum id referre ad Christi milites, addidit vocem Deo quæ in Græco codice non habetur, & è plerisque latinis exemplaribus exulat. Ait ergo Apostolus, neminem militantem, ac proinde neque militantem Deo, vitæ parandæ, aut laute exigendæ negotiis distineri: *τὸ πλεονάζον των ἐργων τῆς ζωῆς*. Distinxerat nimirum Apostolus, *laborem ut bonum miles Christi*, quid ergo eo nomine agendum esset Timotheo, vno ut S. Chrysostomus obseruat, cuius, Christi se militem professenti, (quod omnes Christiani, & laici & clerici æquè profitentur) exponit per rationem vitæ militum bonorum, qui non sunt circa curam corporis & victum solliciti: *humi cubant, ferro potius quam panno amictuntur, edunt & bibunt quando & quomodo possunt, negotiationes mercimonias ad opes corrogandas indeque captandas voluptates non exercent, coniugio etiam abstinent ut Tertullianus lib. de exhortat. ad castit. obseruat. Idem Christi militibus seruandum, habeantque uxores si laici sint, velut non habeant. Nec est quod longitudo laborum militarium*

Christus, Rex Exercituum Domini. 217

litarium eos torreat. Diuine S. Augustinus cant. 2. in Psal. 36. ad illud *ut viam eius videret*, monstrans quantam militum seculi, & militum Christi, sic in hoc puncto disparitas. [Non solum temporalem voluit laborem tam Deus, sed etiam breuem. Paucorum dictum est tota vita hominis; etiam si lata daret non misererentur, quæ plura & longiora sunt certè, quam dura: & ideo breuiora, & pauciora sunt dura, ut durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus, & in ærumnis esset, in doloribus & in tormentis, in carcere & in plagis, in fame & siti, omnibus diebus, horis omnibus, per totam vitam suam, usque ad ætatem senectutis, pauci dies sunt tota vita hominis: quo labore transacto, veniet regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hereditas Christi, veniet cohæres Christus. Pro quanto labore, quantam mercedem accipimus? Veterani homines qui laborant in militia, & versantur inter vulnera, tot annos; incipiunt militare à iuuentute, exeunt senes; ut habeant paucos dies quietos senectutis sue, quando eos iam ipsa ætas incipit grauare, quos bella non granant; quantam dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos Soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? Et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietos illos senectutis, ad quos vitum perueniant nesciunt.]

477 Insignem præterea usum doctrinæ huius capituli subministrat S. Chrysostomus lib. 1. contra Vituperat. vitæ monast. *sub finem*. Nempe attento tam misero statu animæ, sub Satanæ hostis nostri Tyrannide gementis & oppressæ, insigne omnino esse meritum bellatorum, qui auspice & duce Christo conantur eas liberare: & grauissimè peccare qui his bellatoribus obstreperant, vel sunt infensi. Locus est lectu dignissimus; ubi Tyranni in animam grassationes eloquentissimè more suo describens concludit ad extremum. Quænam ergo violenta dominatio, quæ capitiuitas, quæ vastitas, quæ seruitus, quænam inferiuitatem abductio, quod bellum, quod naufragium, quæ fames aut pestis, quid horum denique his vlla ratione conferri possit, quin videatur esse leuissimum? Quis adeo dicit, quis tam ferus ac ferreus, quis ita brutus atque inhumanus, adeoque sine villo misericordiæ ac doloris sensu, quin malit eiusmodi animam sic affectam contumeliis, sic vndique probris laceffitam pro virili parte flagitiosa iniuria insanaque contumelia, abducere, liberare, conferuare, quam sic destitutam negligere, præterire, relinquere? Quod si id esset, ut est profecto immanis animi atque lapidei; vbi nam quæso illos statuemus, qui præter id quod eiusmodi negligunt, aliud etiam; & quidem longè deterius scelus admittunt? Eos enim qui parati sunt mediis se periculis constanter obicere, nec renuunt in ipsum feræ bellæ guttur manus demittere; quinimo & factorem omnem atque pericula subire, & absorptas iam ac deuoratas animas ex ipsis dæmonum faucibus educant, atque violentè extrahant; non tantum non laudant, neque amplectantur,

Theoph. Raynaldi de Atrib. Christi.


sed impelluntur quoque atque perturbant vndique.]

478 Ob signo hanc de Christo Rege virtutum tractationem affectibus & voto S. Bernardi hom. 4. super missus est, ubi tractans regnum Christi in domo Iacob, hoc est in anima verè Israelitica, & bellante pro Iesu contra Satanam, concludit. [Quis ex nobis est, qui iuxta interpretationem nominis Iacob, supplanter Diabolum de corde suo; iustetur cum vitiis & concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni eius non erit finis. O quam gloriosum est regnum illud, in quo Reges congregati sunt, conuenerunt in vnum; ad laudandum, scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex Regum & Dominus Dominantium. De cuius splendidissima contemplatione, fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum. O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad viuendum scilicet in bonitate electorum suorum, ad latandum in læticia gentis suæ, ut laudetur etiam à me, cum hæreditate sua! Veni interim Domine Iesu, aufer scandala de regno tuo quod est anima mea, ut regnes tu, (qui debes,) in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem; iactantia cupit Dominari mihi; superbia vult mihi esse rex; luxuria dicit, ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia, & iracundia, certant in me ipso, de me ipso, cuius ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo, resisto; renitor quantum iuuor, Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo; quia ipse me iuris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum Dominum teneo, & dico, non habeo regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperse illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.]

Non sic impij, non sic. Habet sanè suos quoque milites Rex superbiæ, & vicioꝝ omnium Satanæ audi Origenem homil. 2. in Psal. 36. *in fine*. [Sicut sunt quadam arma Dei in quibus esse dicitur lorica iustitiæ, & gladius Spiritus, & scutum fidei: ita etiam sunt arma Diaboli, quibus indutus est homo peccator. A contrariis igitur intelligamus contraria, & statuamus duos milites armatos, vnum militem Dei, alterum militem Diaboli. Et si quidem miles Dei habet lorica iustitiæ; sine dubio miles Diaboli contrariam huic gerit iniustitiæ lorica. Et si miles Dei in galea salutis coruscet; è contrario peccator qui est miles Diaboli, galea perditionis indutus est. Et si parati sunt pedes militis Christi ad Euangelij cursum & prædicationem; è contrario peccatoris pedes velociter currunt ad effundendum sanguinem: & calceamenta eius, hoc est præparatio, concinnatur ad malum. Habet ergo miles Dei scutum quoddam si dei, habet & miles Diaboli, infidelitatis scutum. Ita ergo est gladius quidam Spiritus

Et 2 ritus

ritus sancti, in his qui militant Deo: Est autem & gladius maligni, in his qui militant peccato. Addit de arcu & sagittis utrorumque, ut firmandum planè sit, virosque proportionali armatura omnigena circumdari. Sed militiæ ac belli exitus est planè diuersus, & respondens Regibus, sub quibus obitur militia.



CAPVT V.

Christus Rex Glorie.

479 **D**esertè Psalm. 23. Coniunctum cum titulo *Domini virtutum*, nuncupatum Christum *Regem glorie* legimus. Exhibendi enim sunt Rabbini quidam apud Iustinum in Dialogo cum Tryphone, qui Ezechiam, alij qui Salomonem, eo loco dictum *Regem glorie* volunt: cum tamen non illis, sed soli Christo, eleuatae sint portæ æternales. Solus ergo Christus, ut Iustinus benè argumentatur est *Rex glorie*. Hoc quid sit, & quomodo ad conciliata per eum Spirituali Ecclesiæ regno bona pertineat, seruandum est.

An Christus, Rex glorie, idest Indæorum.

Erit in primis, qui gloriam cuius Christus in veteri Testamento Rex dicitur, de Iudæis interpretetur: quod si hoc sit quod titulus crucis præferebat, *Iesus Nazarenus Rex Indæorum*. Non enim nouum est, ut in Scripturis *gloria* populum Iudæicum designet, quem Deus ipse proficitur gloriam sibi fuisse. Et Zachariæ cap. 10. positum ait à Deo *quasi equum gloria sua in bello*: locus verò in eam rem conceptus, esse videtur apud eundem Zachariam cap. 2. ubi Dominus exercituum, inducit sic loquens. *Post gloriam misit me ad gentes*. Cum autem inferius idem ipse qui loquitur, addat, *cognoscetis quia Dominus exercituum misit me*; manifestum est Dominum exercituum qui loquitur, & Dominum exercituum qui eum misit, esse Filium & Patrem. Id quod præter Hieronymum ibi, desertè habent, qui inde potens argumentum pro Christi diuinitate periti docent, Eusebius lib. 6. de demonstr. cap. 16. & Augustinus 22. ciuic. cap. 30. Nam nomen *Domini exercituum*, quod utrobique adhibetur, est nomen ipsam Dei essentiam designans. Christus ergo ait, se post gloriam missum ad gentes, quod S. Hieronymus, & Rupertus ibi, ac loco notato Eusebius, perinde esse putant, ac si dictum esset, *post gloriam quam apud Patrem ab æterno habui, missus sum per humanitatis assumptionem ad gentes*. Post tantam sublimitatem, à Deo depressus sum, hominum causa. Minus tamen quadrare interpretationem, ex eo perspicuum videtur, quod Christus ipse profiteretur se non esse ad gentes missum, sed tantum ad oves domus Israël quæ perierant, simplicissimè ergo locum Zachariæ accepturi videmur, si dicamus, Christum *post gloriam*, id-

est *post gentem Iudæicam*, missum esse ad gentes. Iudæis namque repellentibus verbum Dei; Christus non quidem in persona sua, sed in Apostolis fidem Christi Euangelizantibus, missus est ad gentes. Quod gloriam ibi designatè dico. Gentem Iudæicam, consentaneum est Apostolo Romanorum 9. profitei optasse se *anathema esse à Christo pro fratribus suis, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est si forum, & gloria, & testamentum*. Hocigitur sensu, accipiendo nomen *glorie*, pro Iudæico scilicet populo, quem Deus tamquam gloriæ suæ speciem semper habuerat, *Rex glorie* idem est, quod Christus (ut titulus crucis prodebat) *Rex Indæorum*.

Num Rex glorie Christus, quia dat gloriam.

480 Interpretatur secundo loco S. Augustinus 1. Trinitatis cap. 12. Regem seu Dominum gloriæ, Christum gloriæ æternæ largitorem, eiusdem quippe est, gratiam & gloriam largiri. Itaque quia gratiam & gloriam dabit Dominus, accipimus à Christo gloriam, & eatenus *Rex* vel *Dominus glorie* dicitur. Non commodat tamen præsentem intuitu S. August. sic enim scribit. [Secundum formam serui, ipse est caput corporis Ecclesiæ. Secundum formam Dei, Dominus est gloriæ. Unde manifestum est quod ipse glorificet sanctos suos. Quos enim prædestinavit ipse & vocauit, & quos vocauit ipse & iustificauit, quos autem iustificauit, ipse & glorificauit. De illo quippe dictum est, *quod iustificet impium*: De illo dictum est, *quod iustificet & iustificans*. Si ergo quos iustificauit, ipse & glorificauit; qui iustificat, ipse & glorificat, qui est, ut dixit, Dominus gloriæ. Secundum formam tamen serui, facientibus discipulis de glorificatione sua, respondit: *Sedere ad dextram, vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Quod autem paratum est à patre eius, & ab ipso filio paratum est. Quia ipse & pater vnus sunt. Tam enim ostendimus, hac Trinitate per multos diuinorum locutionum modos, etiam de singulis dici, quod omnium est, propter inseparabilem operationem vnus eiusdemque substantiæ. Illustrat hoc alijs exemplis; Tum subdit. [Sicut ergo ista, ita & illud quod ait, *sed quibus paratum est à Patre meo*; cum Patre se intelligi voluit, paratæ sedes gloriæ quibus veller. Sed dicit aliquis. Illic cum de Spiritu sancto loqueretur, ita se missum ait, ut non negaret Patrem missum. Et alio loco ita Patrem, ut non negaret se missum: hic verò aperte ait, *non est meum dare vobis*; atque ita sequutus, à Patre dixit ista præparata. Sed hoc est quod præstrinximus. Secundum formam serui dictum, ut ita intelligeremus. *Non est meum dare vobis*; ac si diceretur, *non est humane potestatis hoc dare*: ut per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus, & æqualis est Patri. *Non est*, (inquit) *meum dare*, id est, *non humana potestate ista do*; sed quibus paratum est à Patre meo. Sed iam tu intellige, quia si omnia quæ habet Pater mea sunt, & hoc vique meum est, & cum Patre ista parauit. [Vides